



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskerens Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

1. V. 1. 1. 1.

Nykyöbungskathedraliskole.

---

## Praefatio.

---

Quod scriptiuncula quadam scholastica superiore anno edita 1) facere institueram, ut, in Ciceronis orationibus, quae sunt pro M. Caelio, p. P. Sestio, in P. Vatinius, de Provinciis Consularibus, p. L. Cornelio Balbo, emendandis si quid mihi ab Orellio et a Madvigio, Viris Clarissimis, vel omissum vel minus recte constitutum esse videretur, supplerem atque corrigerem, hoc nunc in Sestiana ita feci, ut, si quis tertiam editionem Orellianam 2) ad meas, qualescunque sunt, emendationes accommodare voluisset, is meam, quam vocant, textus recognitionem haberet. Nova subsidia critica nulla habui 3): quae illi VV. DD. optima in vulgus ediderunt, iis sum

- 
- 1) Inscribitur: *Kritiske Bemærkninger til M. Tullius Ciceros Tale for M. Caelius. Indbydelseskrift til Zeitdeligholdelsen af Reformationens Indførelse i Danmark.* Cuius libelli epitomen quandam Latine conscriptam mihi in animo est Novorum Annalium, qui a Seebodio, Jahnio, Klotzio eduntur, Supplementis, si per illos VV. DD. licuerit, inserere. Duas autem unius opusculi partes alteram Danice alteram Latine confectas esse ne quis miretur: tunc ex Regio de festis illis diebus agendis edicto vernacula lingua utendum fuit; nunc Latine scribere malui, non quo aut illius sermonis vel in huiusmodi argumenti libellis usum magno opere improbarem aut huius mihi tantam, quanta in viris doctioribus etiam nunc fere solet esse, arrogarem facultatem (quae nisi multa ac varia exercitatione, quae in me adhuc exigua est, parari non potest), sed ut patriae, quae, qui talia curent, admodum paucos habet, angustos fines haec mea commentatio egrederetur, quae praesertim in libris hominum, ut res fert, nostrae linguae rudium iudicandis versaretur.
- 2) *M. Tulli Ciceronis pro P. Sestio oratio. Cum varietate Ascensianae II., Asc. III., Hervag., Nanger., Ernest. et Madvigii emendationibus tertium edidit J. C. Orellius. Heidelbergae, sumptibus Winter. M. DCCCXXXV.* Cuius editionis nulla mihi adhuc cognita censura est.
- 3) Illum „v. e.“, cuius lectiones in margine Repetitionum Lambinianarum per has orationes tam saepe commemorantur (Madvigius in Opp. p. 425 illum ipsum *S. Victoris* fuisse suspicatur, quem tertiae familiae praestantissimum merito existimat — cf. Gruter. ad Caelian. § 26, ad orat. de P. C. c. 7, ad or. p. Domo c. 10 — ego autem, nisi forte quartae cuiusdam familiae fuit, in prima ponendum esse duco), illum, inquam, codicem ego primus diligentius adhibui raro ad novas quasdam lectiones commendandas, saepius ad ceterorum codd., maxime Parisiensis, auctoritatem confirmandam.

usus accurate. Quod si mea opera haec oratio paullo emendatior facta est, id multo maxima ex parte Madvigio acceptum referendum esse libentissime profiteor: cuius ego cum ceteros illos praeclaros, qui in Tulliana crisi versantur, libellos, tum eos, quibus has ipsas orationes et pervestigatis sagacissime et evidentissime expositis, quae codicibus inter se intercedunt, rationibus egregie emendavit, summo studio atque diligentia pertractavi. Quia etiam in vindicandis iis illius ipsius viri vel coniecturis vel ductis ex codicibus scripturis, quas Orellius mihi immerito aut prorsus repudiavisse aut non dignas, quae in textem reciperentur, existimavisse videtur, 1) magna mei libelli pars occupata est. Quod in coniecturis meis aliorumque 2) defendendis longior fui: cum criticum nondum non modo spectatum aut probatum, sed ne cognitum quidem breviter minus decere putavi, tum rationem eorum habui, qui in coniecturis vel facillimis ac verisimillimis probandis tardissimi sunt, in apertissimis codicum ceteroquin optimorum mendis sine ulla depravationis significatione in textu ponendis streuissimi; quorum me pravitas eadem induxit, ut in alios libros, si quos a novissimis quibusque editoribus sic, ut ipsis videtur, emendatos vidissem, longius excurrerem, si forte possem eiusmodi homines ad saniorum quandam crisin reducere. Ad orthographiam, quam vocant, quod attinet, sicut aliis in rebus, quamquam plerumque levioribus, optimorum codicum fidem non satis diligenter secutum Orellium esse demonstrare conatus sum, sic idem in vocabulorum scribendorum ratione antiquissimi atque optimi ed. Par. auctoritati ea, qua par erat, constantia paruisse non videtur. 3) Ad extremum lectores illud monitos volo, iisdem me notis, quibus Orellius usus est, codices atque editiones appellavisse.

- 
- 1) Multo maiorem Madvigianarum lectionum partem in textum recepit Orellius: quae viri de universis literis Latinis optime meriti modestia tanto magis laudanda est, quanto maiore Criticus quidam recentissimus reprehensione dignus est, qui in iis ipsis orationibus, quas se demum ad salutem vocasse praedicat, plurima et gravissima menda iampridem a Madvigio vel sublata vel indicata sine ullo corruptionis signo reliquit.
- 2) Ad confirmandam veteris editoris, nescio cuius, correctionem p. 19 a me defensam conferri potuit de Fin. 2 § 12, ubi duo illi optimi edd., Erl. et Sp̄r., *insane* pro *insane* habent.
- 3) Ut alia omittam, scribitur modo *st*, etiam nullo ed. suffragante, ut § 2 *restitutast*, 3 *praetermissumst* (quod tamen mihi, qui Wunderi, V. Cl., in hac re constantiam probem, non displicet), modo *est*, ut § 102, ubi in A legitur *inseitiast*, in aliis *i. st.*, *sunt*, *sit*, § 74, ubi in A est *discessumst*, *duplicatast*, *creditumst*, § 92, ubi idem habet *alterost*. Non raro ex (A)BC scribitur *quouis*, *quoi*, § 144 etiam sine illorum testimonio, neque tamen item § 43, ubi A (S. Vict.) habet *quod denique* 3: *quoi d.*, aut § 63, ubi in ABCad frequenti quodam errore *quo ex quoi* factum est.
-

---

**H**aec praefatus ad singula, quae in Orellii editione aliter constituenda fuisse mihi videntur, perseguenda aggredior. Qua in disputatione hunc ordinem tenebo, ut primum de iis locis exponam, quorum ipse emendationem coniectando tentavi, deinde de iis, quos ab aliis coniectura sanatos existimo, denique de iis, qui codicum ope aut ab aliis iam recte correcti sunt aut mihi corrigendi esse videntur.

Auspicandi causa a loco quodam incipiam, ubi plura eaque paullo graviora relicta sunt, quae partim coniectura partim optimorum codicum auxilio emendari possint, eo dico, qui cap. 48, § 102 ita apud Orellium legitur:

*Set*

*Te id, quod multi inuideant multique expetant, inscitia est, inquit,  
Postulare, si laborem summa cum cura ceferas*

*Nullum.*

*Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives, Oderint, dum metuant. Praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti.*

In versibus, ut videtur, ex Accii Atreo sumptis *te* ab ipso poeta positum non fuisse satis demonstratum a Wundero est in Prolegg. ad Orat. p. Plancio p. LX. Relinquitur, ut a Cicerone Accii versibus praepositum putetur. At ne hoc quidem facile ita statui potest. Qui enim initio huius § *iuvenes*, qui audiebant, illis verbis: *Haec imitamini* —, *qui dignitatem* — *quaeritis* cohortatus esset, hic *unum* aliquem appellare vix potuit, 1) praesertim

---

1) Quod sequitur *ceferas*, legitimus est secundae personae in indefinita sententia secundaria usus. In primaria autem *tu* ita poni non solet.

iis, quae praecedunt (*Est labor —: pericula magna —. „Multae insidiae sunt bonis“*) universe enunciatis. Debit haec quoque universe, ut ipse poeta, monere: *Set Id cet.* Quod ipsum nescio an secutus Hervagius *te* omiserit. Quam voculam si quis codicum consensum veritus (auctore Wundero) delere dubitabit, is ita certe haec verba edere debet: *Set [te] Id, quod cet.* Arch. enim, ut aliis mendis, ita vitiosis geminationibus liber non fuit.<sup>1)</sup> Venio ad alterum versum, de quo Mg. in Opp. p. 485 haec monet: „in tertio pede aut in secundo et tertio mendosum esse codices arguunt, emendare nequeo. (De B. errari credo, quoniam C, ut St. Vict. et A., corruptus est.)“ Scilicet pro *si* (quod trochaicus ille versus respuit) A. habet *siui*, C. (B.) *si ui*, b. *si vi*, St. Vict. *si tui*, ed *si tu*, id est, in Arch. fuit *siui*. Quod quid sibi vellet, non dubito, quin Mg., quo ingenio est, ipse perspecturus fuerit, si ea, quae sequuntur (*Nullum — iuventuti*) atque varias in iis verbis codicum lectiones satis attendisset. Pro *Nullum* enim in A. est *nollem*; ex sqq. autem verbis in Vat. post lacunam haec servata sunt: *alio loco dixisse*<sup>2)</sup>: *oderint, dum*

1) Pro *Sestio* 62, 130 habuit *conlacrumavit ut vir pro c. uir*; 45, 97 *adpellasti et qui p. adp. qui*: pro *Caelio* 15, 35 *ut et verear p. ut verear* (nisi forte ibi legendum est: *ut etiam verear*): pro *Bulbo* 1, 2 *hoc oppono p. hoc pono*, quo loco si ex repetita syllaba *oe* factum est *op*, vide, ne quid simile acciderit in Or. p. Rose. Am. 41, 120, ubi Steinmetzins et Klotzius ex omnibus codicibus et edd. vett. (3: ex uno antiquo ed. non optimo) legunt *quod a vobis oppugnari video, ne in quaestionem dentur, suspiciosum est* pro eo, quod Naug. et sqq., ut mihi videtur, recte ediderunt, *q. a. v. hoc pugnari*. Certe in *Cluentiana* § 82 in perbono cd. Mon. ex hoc (*oe*) certe factum errore est *obeeratus*. Cf. p. Rose. A. 3, 8: *si hoc — pugnatur, ut — accedat*. Scio equidem recte dici *rem oppugnari*, ut p. Lig. § 14, et *oppugnari* absolute poni posse, ut p. Rose. A. § 145; sed, ubi dictum sit *oppugnari, ne —*, nescio.

2) Maius et Or. scripserunt, ut in Tullii edd. est, *dixit*. Sed *dixisse* nihil aliud est quam frequentissima omnium codicum in *isset* et *isse* aliisque eiusmodi terminationibus confusio. Ita 29, 63 in eodem Vat. pro *carnisset* legitur *caruisse*, p. Scauro § 23 in Pal. Taur. *postulare p. postularet*, p. Tullio § 12 in Pal. Ambr. *venire p. veniret*, ib. § 53 in P. Taur. *potuisset p. potuisse*. Pro *Cluent.* § 198, ubi Classenius et Klotzius recte legunt: *Vellem praesentem possidem — nominare!*, in paucis codd. deterioribus est *posse*. Cf. Epp. ad Fam. 7, 14: *mallem — cognoscere*. Legendum est igitur in Epp. ad Att. 8, 11, D. 5 ex Lni v. c. (Torn.): *vellem — fuissem*, ubi Or. e Md. edidit: *vellem — fuisse*. Pro *Caccina* § 16 [ubi obiter moneo legendum esse: *hic* (3: Cae-

metuant, adiecto hoc scholio: *Et hoc eiusdem poetæ est, „oderint, dum metuant“; quam sententiam detestatur quasi tyrannicam et inauspicatam liberae civitati.* Legendum est igitur (eodem orationis colore, quo in Epp. ad Fam. 3, 10, 2 legitur: *Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses* —): *Nollem idem alio loco dixisset, quod cet.* De cuius scripturae veritate si quis dubitabit, is velim hæc etiam cogitet. Primum illum quidem interpretem in suo codice ita legisse testatur ipsius annotatio. In nostrarum enim editionum lectione *detestatio* nulla inest; qui autem ita dicit: *Nollem hoc dixisset*, is demum dictum aliquod *detestatur*. Deinde, quod vulgata lectio in sententiarum nexu hiulci habet, id in mea evanescit, cuius facilis hæc est explicatio: „*Nollem A. alio loco dixisset, quo abuterentur turbulenti homines et libertatis patriæ eversores, O. d. m.* (3: ex Accii ipsius sententia: *Potentibus opulentisque hominibus invadeat vulgus, dum fortitudine eos atque industria opes potentiamque cum consecutos esse tum oblinere posse videat*). *Dico Nollem hoc*; præclara enim sunt et ad iuvenum usum apposita, quæ priore illo loco iuventuti dederat præcepta.“ Notus est enim particulae *enim* usus ad causam significandam, cur quid *dictum* sit; sed ita posita ad *totam* superiorem sententiam aut certe ad eam, quæ proxime præcedit, eius partem referri solet, non, ut in vulg. lect. necesse erat, ad verba partibus eius *interiecta* (*Od. d. met.*). De-

---

cina; in Erf. est *his*) *conjectura assequi posset*; vulgo: *hi — possent*; sed *hi* 3: recuperatores fuerunt in illo numero, de quibus iam dictum erat: *omnes fere audissent*] in Erf. est *posse* p. *posset*. De leg. Agr. 2, 15, 38, ubi sine varietate legitur: *Quid dicam? invidiosum putasset hoc fore, si omnia nominasset?*, legendum est, ut voluit Puteanus: *putasse*. Directa interrogatio hæc fuisset: *inv. putavit* (non *putasset*) *cet.?*; sed, ut solet (cf. Verr. 4, 9, 19; 5, 18, 46 de iisque locis Madv. Ep. Crit. p. 52, Opp. p. 358), ab intellectu verbo *dicam* suspensa infinitivum flagitat. Contra in Verrin. 2 § 57 ex optimis edd. (v. e., Lg. 42) Zumptio scribendum fuit: *Quid — debuit prætor facere — ? non et in eum — animadvertisset — ?* 3: non — animadvertere debuit — ? Soloeca est vulg. lectio: *animadvertisse* (*debut*): *animadvertere* dicendum erat. Cf. *ibid.* 5 § 168; Epp. ad Att. 2, 1, 1: *ne poposcisses*; pro Sestio § 45; Verrin. 3 § 224, ubi rectissima est Vaticani lectio: *Negaret hac — usum; vos id credidissetis* (3: Si neg. — usum et vos — cred.): *homini credidisse — videremini*, quod Zumptius iam ex Lni codicis (et Lg. 42) leviter corrupta lectione: *credidisse hominib. credidisse* conicere potuit.

nique, quibus quasi gradibus haec lectio in vulgatam transierit, haud difficile est explicare. In antiquo aliquo codice cum pro *dixisset* scriptum esset *dixit* 1), doctior aliqui librarius, qui in sui codicis lectione: *si (ui) — dixit stare nollem* non posse videret, textui superscripsit *nullum*, quod deinceps cum in secundam et tertiam familiam tum in Ascensii, Hervagii, Naugerii codices transiit, non item in integerrimum omnium A (de cuius fide pluribus locis post viderimus, in primis ad § 116, 127). Nam neque errore neque interpolatione credibile est in tot illis diversi generis codicibus *nollem* esse in *nullum* mutatum. — Ita illa optimorum codicum lectione aequis lectoribus, ut spero, satis superque probata simul ad versum, unde digressus sum, emendandum munita via est. Cum enim codicum vestigia, tum ipsa Accii sententia cogit scribere: *Postulare, nī laborem sūmma cum cura écferas*. Neque vero quisquam, qui, quid inter *nisi* et *si non (si nullus)* intersit, vel ex grammaticorum disputationibus didicerit vel accurata veterum scriptorum lectione ipse perspexerit, huic loco, ubi sententiae universe neganti (*Id — inscitiast Postulare* 2: id — postulandum non est) exceptio quaedam adiungitur, multo aptius *nisi* quam *si nullum* esse negabit. Nī, ut apud poëtam, legere malui, quam *nīsī*, quam pleniorē formam apud ipsum Ciceronem illi contractae praetulissem. V., quae ad § 82 sum dicturus. Cete-

---

1) Ita p. Cacc. 4, 12 in ed. Erf. a pr. manu *fuit* est pro *fuisset*. Verrin. I, 17, 123 a Klotzio recte legitur ex Vat. *produxisset* (ceteri, etiam Zumptius, habent *produxit*); egit enim eam rem tribunus *post quam* cum, qui caesus erat, produxit, non *eodem tempore, quo* produxit. Contra p. Balbo 11, 33 codices habent *sancxisset*, correctum a Madvigio (Progr. 1835) in *sancxit*. Cf. ib. 15, 35 de eadem re: *Sacrosanctum — sancitum est*, ubi ex Par., Erf., Lni edd., v. c. legendum est *sanctum est*, ut 8, 19, Verr. 2 § 123, 5 § 50, p. Sestio § 65 (ubi ea forma ex A, d, C et sine dubio B restituenda fuit), Har. Resp. § 31 (ubi ex Erf. et marg. Lni ita legendum est). Ibidem 20, 47 recte ab Abramio, probante Madv., emendatum est: *quoties ipse consul fuit* (vulgo: *fuisset*). Pro Cluentio meliores edd., AB, qui § 42 vitiose habent *accepissetis* p. *accepistis*, iidem 59, 161 peccant *dixit*, ubi plerique edd. deteriores et edd. ante Lamb. item corrupte habent *dixisti* (restitutum a Classenio et a Klotzio), a Manutio autem et a sqq. ex 2 edd. dett. recte editum est: *dixistis*. Adversarios enim *universos* ibi ab oratore esse appellatos satis intelligitur ex § 160 (*illi*), 163, 161, 168, 169, 181, 182, 183, 185. Transiens (§ 186) ad *unum* Atium nomen eius Cicero addidit.



rum, ut ex NISI fieri potuit SINI, SIVI<sup>1)</sup>, ita in antiquo aliquo codice librarius, cum lapsu quodam calami SI pro NI scripsisset, continuo corrigendi causa addere NI potuit;<sup>2)</sup> quo facto SINI levissima depravatione in SIVI mutatum est.<sup>3)</sup> — Cum hoc loco propter mendi similitudinem illum coniungo, qui est 61, 129: *tamen illud addidit, si diebus quinque — non esset actum, redirem* cet. Offendit in his verbis, quod post *addidit* positum non est *ut*, quae particula post verba *addendi, adiciendi, adiungendi* ne tum quidem, cum inest in iis *amplius dicendi, scribendi, decernendi* notio, magis omitti posse videtur, quam post *accedit, reliquum est*, similia. Cf. Lael. § 65: *Addendum eodem est, ut ne —*; Sueton. Calig. 40: *Additumque ad caput legis, ut —*. Atque, si excipias formulas *velim* cet., parcior omnino Cicero est in breviori illo loquendi modo utendo. Ita ne semel quidem in his capitibus post *decernere* deest particula. Quare h. l. vel coniectura sine magno temeritatis periculo *ut* addi potuit post *addidit*, praesertim cum post *it* excidere facillime potuerit, ut in tertiae familiae cd. principe factum est, si modo in edd. Gruterianis, de quibus in verbis *addidit si* siletur, re vera defuit. In Arch. autem fuisse *addidit, ut, si* ceterorum codicum vestigia monstrant. In A. d. enim est *addidit nisi*, atque etiam in b, in qua *non*, quod post *nisi* sententiae repugnaret, omissum est. In c. *nisi* in *non* depravatum est. C. autem et, opinor, B. quoque habet: *a. ubi*. In edd. vulgg. et edd. vett. hic locus deest. Quam facile ex

1) Pro Flacco 34, 84, ubi sine ulla varietate legitur *sine*, recte in Pal. Vat. legitur *nisi*, probante Klotzio in Emendd. Tull. De leg. Agr. 2, § 24 in melioribus edd. (Erf., Pith.) pro *ne si* scriptum est *sine*, in ceteris *sive*. Cf. meam ann. ad Sestianae § 129 et de *ni* cum *si* confuso ad § 82.

2) De hoc corruptionis genere vid. Madv. ad § 29. Ita in Verr. 4 § 91 coll. Haun. et Guelff. habent *provincia provisa*, p. Clu. § 96 cod. B. *sibi sive*. Si cui *siui* ortum potius ex duplici scriptura (*si* et *ni*) coniuncta esse videbitur, is in Madvigii Epist. Crit. p. 47 exempla eius generis non pauca reperiet, quibus haec ego addo: Verr. 5 § 140 coll. Haun. *in ad corpora* habet, ut § 101 *it-leis* (o: *ille illis*), 4 § 94 *praetoris amnum* (o: *praetoris praetoria manum*), unde in Guelff. factum est *praetoris ac manum*, pro vulgata lectione, quae in Erf., Lag. 29, aliis est, *praetoria manum*.

3) De confusione vocularum *ni, ui, ut* vid. Tacit. H. 4, 22 et meam ann. ad § 129.

VTSI negligentius scripto et NISI et VBI fieri potuerit, non lateat. 1)

1, 2. *Ego autem, iudices, qua voce — putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis. Iis potissimum vox haec seruiat, quorum opera — restituitast.* Auctore Madvigio expulsum nunc ab Orellio est, quod Lallemandius ante qua inseruerat, quia, omissum in Abed, edd. vulgg., edd. ante Lall. 3: in Arch. In BC autem esse ex collatoris de iis silentio tuto colligi non posse multi loci documento sunt. Contra Mg., qui quoniam, sibi en [puisque] dicendum fuisse iure existimat, quia [fordi, parceque] recte positum esse contendit Klotzius (N. Jhrb. 11, 318), sed rationibus paene nullis probavit, neque alterum illi particulae a Mg. oblatum crimen, quod inanis oriretur tautologia, diluit. Tantum mihi Criticus ille recte sensisse videtur, novam [eamque tam brevem] sententiam paullo durius ita a verbis *Iis pot.* incipere. Quare vide ne Tullius sic scribere potuerit: — *depellendis, iis potissimum VT vox* —, praesertim cum totus locus ita distinguendus et intelligendus esse videatur: *In quo — nihil minus est ferendum, quam quod — arbitrantur, ego autem cet.* Cf. § 3: *aggrediar ad dicendum, NE mea propugnatio ei potissimum defuisse videtur, per quem est perfectum, ne ceteris civibus deesset.*

3, 6. *homine sapiente.* Sic sine varietate Or., ut 16, 37 *vigilante* et 51, 110 *petulante*. Tullium ipsum semper scripsisse *sapienti, vecordi, praecipiti, audaci*, similia, ubi quidem adiectivi locum, non substantivi aut veri participii, obtinerent, haec mihi persuaserunt. Primum in Arateis ceterisque poematum eius reliquiis ita semper (fere *vicies*) scriptum est. Semel legitur (Phaen. 316) *praecipitante licet visere nocte*; nimirum in ablativis, quos dicunt, absolutis 2), ubi temporis notionem praevalere constat.

1) Similiter in Arch. fuit § 11 *Atque NE*, ut habent AC (B), pro *a. VT* et § 118 *ET illud quidem*, ut est in AC (B) c (Hervag. coniectura addidit *non*), pro *NE illud quidem*, ut in bd correctum est.

2) Adiectiva quoque ex participiis composita in illa constructione E amasse haec exempla docent: p. Tullio § 53 *hoc insciente*; Epp. ad Fam. 13, 58 et 59 *me libente*, ad Qu. fr. 2, 6, 6 *me perlubente*, ad Att. 10, 4, 6 *me libente*, d. l. Agr. 2, 18, 49 *libente illo*, p. Rosc. Am. 8, 21 *imprudente L. Sulla*, alia. Legendum est igitur ex Lauredani coniect. de l. Agr. 2, 17, 46 *imprudente populo R.*, ubi in edd. et edd. satis absurde est *impudenter p. R.*; qui enim *per legis fraudem surripitur honos* (non *vi extorquetur*), is non *impudenter*, sed *im-*

Cf. contra v. 328: *ardenti cum corpore*, v. 392: *letum maerenti voce canentes*, ut aliis locis in ablativis modi aut qualitatis legitur: *radianti* (fr. 8), *splendenti* (fr. 15), *micanti* (fr. 30) *minitanti* (v. 305) cet. Deinde paucissimis locis forma in E desinens invenitur, iisque partim librorum ex uno aut e deterioribus edd. editorum. Equidem ex orationibus (praeter Philippicas), Catone, Laelio, epistolis ad Att. (lib I—IV), ad Qv. fr. (I et II) haec tantum enotavi: Act. I in Verr., 10, 28 *innocente*; p. Font. 6, 11 *sapiente* (at § 13 *sapienti*); de l. Agr. 2, 25, 65 *truce* (§ 70 *ingenti*), p. Cluentio § 175 *valente* (ex melior. edd. nunc legitur *valenti*); Lael. § 54 *insipiente* (ex Erf. lege: *insipienti*); ad Qv. fr. 1, 1, 24 *constante*. Denique nulla vel in antiquissimis codicibus frequentior commutatio est, quam literarum E et I 1); neque veterum Grammaticorum in hac quaestione dissensio aliud quidquam probat, nisi (quod et ipsi testantur, neque fieri non potuit) illorum iam aetate non defuisse codices, qui ex genuina forma librariorum vel errore vel arbitrio degenerassent. Quo magis non dubito, quin neque *maiori* unquam neque *veteri* a Cicerone dictum

---

*prudente aliquo* aufertur. Cui sive a quo honos ille surriperetur, cum ex opposito membro, tum ex voc. *legis* intelligi satis poterat. Cf. Philipp. 11, 4. Pro Milone autem 29, 80 recte se habet, quod in Erf., Arch., Par. 9, permultis aliis edd. et edd. ante Grut. legitur: *Confiteretur — et magno animo et libenter, fecisse se — causa, quod* cet. Recentiorum editorum lectioni *libente*, quam habent Bay. alique libri (ut omittam maiorem illorum codicum auctoritatem minoremque, quam illa lectio habet, interpolationis similitudinem) hoc ipsum obstat, quod locis a Garat. citt., ubi dicitur *animus libens*, non legitur *animus libente*, sed *a. libenti*, ut Epp. ad Att. 2, 4, 2: *animus — gaudenti ac libenti*, de Har. Resp. 5, 11: *non modo patienti, sed etiam libenti animo*. Cf. p. Cluent. § 28: *laetanti iam animo*; de Divin. 1, 13, 22: *vigenti animo*; p. Mil. § 81: *magno animo constantique*. Neque vero locus ab ipso Gar. ad id probandum, quod iam cum praecedentia (*in constiendo — tineret?*), tum sequentia (*quod — praedicandum. — dubitaret id futuri*) docent, et *m. animo — lib.* cum *confiteretur* iungendum, laudatus, qui est p. Caec. 9, 24: *Constetur atque ita libenter constetur*, nihil valet ad *libenter* tutandum. Cf. etiam de coniunctis membris *non aequalibus*, quod Steinmetzium offendebat, ann. meam ad § 117.

- 1) Ut in Infinitivis Act. et Passiv. (cf. § 21), in terminationibus *it, et*, in tertiae declinationis Dativis et Ablativis (§ 117 A: *potestate*; in Vatin. § 15 idem *dignitate*). Itaque ne tales quidem Ablativi, qualis est *omui*, illa depravatione liberi erant, ut in Pison. § 82, ubi in Erf. est *omue*, p. Mil. § 24, ubi item in Vat. *omue*, p. Sestio § 12, ubi omnes edd. habent *breve*; in Vat. § 6, ubi in A est *singulare*.

sit. In poematum fragmentis nullus locus est, qui repugnet. In libris autem, quos supra dixi, hos deprehendi: p. Tullio § 30, ubi Pal. Taur., qui *in hoc posteriori* habet, idem paullo post *in illo priore* praebet; in Verr. 1, 53, 138, ubi Zumptius ex omnibus suis (praeter unum pessimum) edd. correxit Naugerii in seqq. edd. propagatam lectionem *priori actione in priore a.*, ut est etiam in Vat. totiesque in Verrinis sine varietate legitur; pro Balbo § 36 *superiori* (ed. Par. recte *superiore*, ut etiam apud Tacit. H. 1, 55 legendum est); p. Caelio § 65 *meliori tempore*, ubi Mg. ex A. et tertiae familiae vestigiis emendavit *magis tempore*. *Veteri* sine varietate legitur p. Rosc. Com. 13, 38, de l. Agr. 1, 6, 18 (sed ib. 2, 35, 97 *vetere*). In Caecil. autem § 5 Zumptius ex Pseudo-Asconio (accedit Scholiasta Gronov. et Guelf. secundi mendum *vetera*) edere debuit *vetere*, ut Verrin. 3 § 16, 5 § 46 ex melioribus suis edd. ipse edidit utque ceteris illarum orationum locis legitur. Cf. Orell. ad 5 § 46 et Ipp. ad Offic. 1 § 21, ubi ex melioribus edd., et ad § 129, ubi e Nonio et bonis edd. nunc legitur *vetere*, ut pro Marcello § 2 ex Guelf. iam Heusingerus edi voluit, edidit nunc [ex Prisciano et edd. Franc.] Klotzius. Ne apud Tacitum quidem *veteri* legitur, nisi bis: A. 1, 60 et H. 3, 51, ubi propter Victorii de ed. Flor. silentium a Walthero ita editum est, in ceteris autem edd., etiam ed. Spir., *vetere* est, ut Ann. 1, 4, 7; 3, 21; H. 3, 7.

27, 59. † *Tulit gessit, qui* —. Desperato hoc loco quod Orel-lio requiri videtur, *Talis ergo rex* vel simile quid, neque Tullianum colorem habet et tamen significaret, quod ab oratoris sententia abhorreret, *Constitutus a Pompeio et constrictus rex*, atque intolerandum hunc pleonasmum haberet: *Talis rex — regnat hodie*. Tantum vidit *van Dam*, cum legendum putavit, *Tulimus. Is, qui*, requiri simpliciter pronomen aliquod. Ceteris igitur hariolationibus haec mea addatur: *Hic igitur, qui* —. Opponitur enim Tigrani „*ille Cyprius miser, qui* —“, et, quae praecedunt: *Hic et ipse — mansit*, hic verbis *qui — certavit* iterantur. Neque vero hoc loco, si in antiquo aliquo ed. fuisset HICIGIT, syllaba *ur*, ut saepe vel in antiquioribus edd., per notam scripta, cum ex GIT male intellecto scripturae compendio factum GESSIT esset, difficiliter HICI in TVLIT mutari potuit, quam § 21 *bene* in *senex*, § 19 *annus* in *mantuus*, § 130 *ad Numidici illius* in *ad unum*

*dicto citius.* — Paulo ante (§ 57) quod sine ulla varietate legitur, *honorem istum*, non adducor, ut ab ipso Cicerone scriptum credam. Ab eo enim, praesertim in orationibus, vix usquam *iste* positum est, nisi relatum ad unum aliquem pluresve, quos *alloquitur* aut *alloquentem se fingit* (ut reum, accusatorem, testem, iudicem, adversarios, testes, iudices, senatores, populum, cet.), ita ut *iste* sit *is, quem habes, facis, dicis, cogitas, vides, audis* (*habetis* cet.) aut simile aliquid. 1) Quod si *istum* illo loco sanum esset, ad *iudices* referendum erat, ut esset aut *quem vos datis* aut *de quo dicentem paullo ante me audistis*. Illud autem falsum erat de mixto illo, quod tum erat, iudicum genere (*senatus enim solus socii nomen dabat*): hoc a toto loco alienum, in quo, ut fit in re aliqua narranda, quasi regnat pronomine *ille*. Legendum est igitur *illum*, quo adiecto pronomine *honorem* ad verba *a senatu socius appellatus*, ut solet, simpliciter refertur. Quam saepe pronomina *ille, ipse, iste* a librariis inter se confusa sint, nemo criticus ignorat. 2)

1) Ita § 61 *istis temeritatibus* est: talibus, qualem *tu* suades, qui dicit: „*Cur igitur rogationi paruit?*“ § 136 *carnificina est ista* : c. e. id, quod *vos*, iudices, accusator cohortatus est. Similiter in dialogis *iste*, ubi pro *ille* positum videtur, explicari potest, ut in Lael. § 97, 99, in Caton. M. § 7 (*istiusmodi* : de quibus audistis), 21, 29, 46, 48. Ibidem igitur § 67 scribendum esse videtur: *Quod est istud crimen senectutis, cum id videatis* cet., ubi vulgo legitur *illud*; sed in ed. Reg. est *istius*, in 2 Oxx., qui cum optimo illo ed. in optimis lectionibus non raro consentiunt, ut § 56 (*id est*), 69 (*regnaverat*), 66 (*restet*, ut Madvig.), 68 (*At senex*, ut Madv.), in iis, inquam, ipsum *istud* legitur.

2) Cf. Zumpt. ad Verr. 1, 6, 16 (ubi recte coniectura restituit *illorum*) 2, 49, 129, al. Etiam cum *hic* et *is* nonnumquam confunditur *iste*, ut Verr. 1, 4, 7; 3, 68, 160; 4, 27, 63; Orator. 61, 203, ubi, nisi interpolatus ille locus est, ut voluerunt „Alii“ in marg. Lamb. et Beierus, legendum est *aut his* (edd. *istis*) *aut illis*. Alius enim generis sunt, quae leguntur in Bruto § 133 (ubi *iste* est *hic, quem proxime dixisti*) et de Orat. 1 § 89, ubi, ut § 87 et 91, *iste*, etsi in *obliqua* oratione, aptissime dictum de rhetoribus est, de quibus tum *maxime* cum Menedemo disseruerat Charmadas, *ille* autem de Demosthene, quem *obiter* ad defendendam rhetoricam Menedemus adhibuerat. Ex Ovidii Fastis 5, 188, ubi vulgo legitur *ille vel iste*, laudatur ab A. Grotef. (2, 361) *ille vel ille*; sed alloquens Floram poeta recte *iste*, ut mox *hic*, de Maio, de Aprili *ille* posuit.

38, 79. *Ubi est crimen, quod reprehenditis?* Jure mihi illud negasse Or. et Mg. (Opp. p. 370) ad Verr. 5, 43, 113 1) videntur, ab antiquioribus scriptoribus *crimen* simpliciter pro eo, quod est *scelus* et *maleficium*, dici. *Crimen* enim apud illos ubique aut de *accusatione* aliqua vel *reprehensione* aut certe de *accusato accusandove* aliquo facinore dicitur. Apud Ciceronem quidem locum nullum novi, qui re vera repugnet. P. Caelio 30, 71 *Quo crimine — peccatoque* est: Cuius peccati crimine, ut ibid. § 61 *scelerum atque criminum* est: scelerum, quae adversarii criminabantur. De Orat. 2, 48, 199 *id C. Norbano in nefario crimine — esse ponendum* dictum est, ut alibi: *crimini alicui aliquid dare, crimen alicui obicere, inferre, offerre*, in quibus locutionibus *crimen* significat *Beschuldigung*, non *Verbrechen*. Eadem significatio eius voc. his locis est: p. Caelio § 23 (ubi, ut supra *qui fecit*, ita *qui commisit* absolute dictum, neque *crimen* intelligendum esse docent sequentia: *id hic pertimescat*), § 29 *suo crimine* (α: crimine sibi soli ab adversario obiecto; cf. § 36, Act. II in Verr. 1, 16, 43, Liv. 35, 19). Quod legitur in Verr. 5, 9, 23: *Primum insimulatio est repentina capitalis atque invidiosi criminis*, non est: Primum insimulavit eum capitalis atque invidiosi criminis (ut apud Ovidium Her. 16, 324 *reus criminis huius agar*, cf. Rem. Am. 388, Quintil. 1, 11, 79, Tac. A. 13,

\*) *Non posse Verrem testes interficiendo crimina sua extinguere*. Ita ex dett. edd. vulgo editur, etiam a Zumptio. In meliorum codicum Arch. fuit *nos* pro *crimina sua*, unde Bake coniecit *criminum vocem*, Or. *noxas*, Mg. melius *voces*. Mihi quidem delendum esse videtur sive *nos* sive *crimina sua*, itaque hic locus explicandus: N. p. V. t. *caede* exst. α: testibus tollendis testimonia tollere. Neque enim in sqq. *voces* tantum testium, sed magis etiam oratorie *ipsi testes interfecti* ab inferis ad iudices venturi esse dicuntur (quod ipsum Klotzii lectionem *int. omnis ars* satis redarguit). Duo librarii, qui non intelligerent *testes*, ut debuit (cf. Epp. ad Fam. 6, 4, 2; 5, 10, 4), *semel* positum, unus simpliciter de suo addidit *eos* aut *hos*, alter male *crimina sua*. Ex *eos* (*hos*) post factum *nos* est, ut p. Sestio § 146 (edd. *vos* p. *eos* aut *hos*), p. Tullio § 38 (Pal. Taur. *nos* p. *hos*), de Imp. Pompeii § 38 (ubi edd. omnes *eos* p. *nos*: non recte; *assequi* enim nunquam est, ut vertit Klotz., *erwirfen* (*perficere* aliquid pro *alio*), sed *erreichen* (*ipsum* labore aliave re aliquid *consequi*), rectissimeque *populus*, qui erogata classium nomine pecunia tamen nihil nisi *detrimentorum* a praetoribus acceptorum *turpitudinem* assequeretur, *praetoribus* opponitur, qui interversa illa pecunia ipsi magnum *lucrum* faciebant); Div. in Caec. § 54 (ubi meliores edd. *nos* p. *hos*).

26 *manifestos criminum*, 3, 60 *suspecti criminum capitalium*, H. 1, 48 *criminis huius reus Vinus arguebatur*, ubi Cicero dixisset *facinoris*, ut p. Caelio 1, 1), sed: *insimulavit eum capitalis atque invidiosae rei crimine*, ut apud Liv. 6, 16 *fateri facinus insimulati falso crimine senatus*, 44, 16 *proditionis crimine insimulari*, apud Ciceronem aliosque *crimine aliquo* (scilicet: alicuius rei criminatione) *aliquem arguere, accusare* (A. I. in Verr. 1, 16, 43), *convincere* (Verr. 1, 9, 26), *damnare* cet. De Inv. 2, 11, 37, si vulgata lectio sana est: *de eo crimine quaeri, quo de* (ed. Lni: *de quo*) *arguatur*, dictum est *de quo*, quasi praecederet *de eius sceleris crimine*; neque tamen sine causa Schütz. *de* delevit. (Cf. Verr. 5, 18, 46: *non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem vituperatione reprehendo.*) Victorinus quidem ita explicat: *hoc crimen, quod intenditur.*) Si igitur illa Orellii, Madvigii, mea de voc. *crimen* vera est sententia, iure mihi videor in locutione, quae nostro loco est, *crimen reprehendere*, offendi. Neque enim iis excusatur, quibuscum a Wundero ad Plancianam § 9 et a Freundio s. v. *accusare* confertur: *culpam populi* — *accusatus* (p. Planc. l. c. scilicet: rem, cuius in culpa est populus, reprehendis); *prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii culpam ullam reprehendatis* (p. Lig. § 2). *Culpa* enim Ciceroni non idem esse atque *crimen* intelligitur iam ex Verr. 5 § 105: *istius culpae crimen vituperationemque inconstantiae suscipiam.* In *culpa* semper is est, qui aliquid *deliquit*: in *crimine* is demum, qui *accusatur reprehenditurve*. Pro Ligar. c. 2: *Adhuc — Ligarius omni culpa vacat* scilicet: accusari non possunt nec debent. Ne illa quidem ad nostrum locum tuendum quidquam valent: p. S. Rosc. 30, 83 *certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur* (eine bestimmte Beschuldigung erweisen), p. Ligar. 1, 1 *Novum crimen* (Beschuldigung) — *ad te — detulit*, alia eiusmodi. Quid igitur? Legendum esse videtur: *Ubi est crimen? quid* 1)

1) Notissima est perpetua voce. *quid* et *quod* confusio. Duo eiusmodi menda nuper Madv. (Disp. II. de locis aliq. Juven. explic. 1837) sustulit, unum ex Juv. 8, 221 emendando: *Galba, quod Nero*, alterum ex Cic. Phil. 12 § 34 legendo: *fecistis, quod faciat*. Similis eorum, quae connectenda erant, distractio meliore distinctione sublata ex Or. p. S. Rosc. § 80 est, ubi Matthiae., Madv., Steinmetz. recte ediderant: *Quid est ergo* (Mg. ex edd. vett. *ergo est*), *quo tandem accusator inopia argumentorum confugerit?*, Klotz. autem pravam distinctionem vulgatam restituit: — *ergo? quo? —?*; in qua dicendum fuit,

*reprehenditis?* (ut supra dicitur: *Ipsum vero quid accusas?*)  
 3: Ubi est id, quod criminamini? quid est, quod reprehenditis?  
 Simillimus locus est p. Balbo § 7: *nec in his (ex A. lego iis) rebus  
 crimen est ullum. Ubi igitur est crimen?* Neque ad sententiam  
 dissimile est, quod supra (§ 77) legitur: *Nihil neque ante hoc  
 tempus neque hoc — die criminamini Sestium.*

53, 113. *Prae se populus R. ferebat sibi illum in tribunatu  
 Cn. Domiti animum constantem et egregium et Q. Anchari fi-*

ut de praeterita accusatione, *confugit* aut *confūgit*. Veram illam rationem esse facile intelligitur ex iis, quae praecedunt: *Restare tibi videbatur nomen servorum, quo — confugere posses.* Pro Archia 7, 15 mendum ed. Erf. (qui idem § 25 peccat *ne quod pro ne quid*) Stürenburg. et Klotz. in textum recipere non debuerunt: *certum est, quod respondeam* („es ist etwas gemißes, was ich darauf antworten kann“). Antea recte legebatur: *c. e., quid resp.* (3: c. mihi est, certum scio, habeo, non dubito, q. r., ich weiß, was i. d. a. soll; cf. Verr. 5, 21, 53, cit. a Stür., Terent. Andr. 1, 3, 4, Cic. Epp. ad Att. 1, 13, 2, ad Fam. 12, 5, 1; 1, 9, 25). Cf., quae in explicatione sive responsione posita sunt: *atque idem ego hoc contendo cet.* Qui aliquid contendit, is scit, certum habet, quid respondeat, non tantum „*habet quiddam, quod r.*“ Pro Caec. § 34, ubi nunc ex cdd., etiam Erf., editur: *quid agas mecum — non habes*, (3: quid agendum tibi sit —, nescis), Ern., Sch., Beck. recte scripserant: *quod cet.* 3: nihil omnino, quod agas m., habes, nihil o. agere m. poteris. (Cf. Or. ad § 36.) Quod dicere se voluisse Cic. ipse docet § 33 (*Nullam (actionem) esse dices?*) et § 37 (*Nullam actionem esse dicere cet.*). Pro Milone § 100, ubi a Garaton., Madv., Matth. recte editur, ut Or. quoque et Steinm. volunt: *Quid iam restat? quid habeo, quod faciam*, nunc a Klotzio ex optt. edd. legitur: — *habeo? quid-*, ut nemo sanus scribere potuit, nedum Cicero. *Quid habeo?* estne idem quod: „*Quid possideo?*“ Absurdum. An significat: „*quid etiamnum habeo, quod pro Milone faciam?*“ Id neque ita dici potest et malam habet abundantiam. Satis iam breve illud: *O. i. restat* (3: Quod officium iam reliquum est)? explicatur verbis: *Quid habeo, quod faciam?* De Fin. 5 § 36 Madvigium spero, qui (in Ep. Crit. p. 92) p. Tullio § 50 correxit QVOD SI REPVGNAT: in *Quid si repugnat?*, in textum recepturum Bremii suspicionem: *quibus - informatum est, quid hominis natura postulet*, ubi ipse coniunctivus *postulet* vulg. lectionem quod erroris convincit. Pro Cluentio § 147 Pal. Taur. solus peccat: *Quod est-, cur-sedeas?* Ibid. § 184, ubi Class. recte ex cdd. melior. edidit *aliquod dictum* (*dictum* substantivum est, ut *orationem*; cf. p. Fonteio § 30 *dictum-aliquod*), deteriorum mendum *aliquid* retinuit Klotz. Pro Caelio § 72 ego ex A. emendavi *aliquod eiusmodi* (sc. *crimen*): vulgo *aliquid*; sed opponitur *proprium quaestionis crimen*. Pro S. Rosc. § 83 correxi *unum- quidque* (3: *unamquamque rem*, ut de eadem re dicitur § 91; vulgo *unum- quodque*. Cf. Divin. in Caec. § 46.



*dem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse.* In Arch. fuisse *gratum* ex codicum et editionum (praeter Lamb.) consensu intelligitur: quamquam tertia familia partim mutilata hoc loco est (edd. vulg., edd. vet.), partim siletur (edd. Gruter.). *Gratum* ad longius remotum *animum* potius quam ad *fidem* et *fortitudinem* accommodatum defendit Garaton., cum *millies* a bonis Latinitatis auctoribus ita factum esse diceret. Vellem V. Cl. (quem magni facio) vel unum locum non modo ex Cicerone, sed ex bono aliquo scriptore attulisset, cuius *eadem plane* ratio esset! Equidem nullum inveni neque in meis adversariis neque in eorum, qui mihi ad manum sunt, Grammaticorum libris (Sanctii Minerva ed. Amst. 1754, Ruddimanni Instt. Gr. Lat. ed. Stallbaum., M. Grotensend's Ausf. Lat. Gr.), ubi syllepsis illius, qua praedicatum aliquod attributumve ad remotius nomen (rei *inanimae*) aptatur, exempla undique corrassa sunt (apud S. p. 712, 718, apud R. II. p. 30, 31, 33, 366, apud G. II. p. 402). Rationem eius structurae antiquioribus iam illis ex parte cognitam bene explicavit Grotf. l. c.: tum demum illud fieri (quamquam fere apud seriores tantum et apud poetas), si remotius nomen idem *vividius* cogitatum sit, atque nomina, quae (unum plurave) intercedunt, aut pro additamentis quasi per parenthesin quandam interiectis habenda esse, aut ita esse cogitata, ut si per particulam *cum* praecedenti nomini subiecta et quasi subordinata essent. Quod ita esse intelliget, si quis locos collectos persequi voluerit. Ex Ciceronis libris hi laudantur: De legg. 1, 1, 1: *Lucus — ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario* (ubi *lectus* dicitur, quoniam *quercus* pars *luci* erat); Epp. ad Fam. 5, 21, 5 *praeter culpam ac peccatum, qua semper caruisti* (α: culpam peccati); 10, 24 (ep. Planci), 1: *Amor — tuus ac iudicium utrum — sit allaturus* (α: amor, quocum tu de me iudicas); de N. D. 2, 62, 156: *Quid de vitibus olivetisque dicam? quarum uberrimi fructus* (*quarum*, quasi praecederet *vitibus oleisque*); ib. 47, 120: *a caulibus brassicisque, si propter sati sint, — eos* (plerique edd. *brassicis*, quare id voc. merito editoribus suspectum fuit, superscriptum ab eo, qui genus *caulium* h. l., ut aliis, pro parte *brassicarum* positum explicare voluit: sin sana lectio est, signifi-

cat fere a caulibus brassicarum). 1) Similiter explicari et excusari possunt ceteri loci: Sall. Jug. 49, 5 (*ipsi atque — signa obscurati*  $\alpha$ : o. ipsi cum signis), Caes. B. G. 2, 7 (nisi forte ibi ex perbono codice Haun. leg. *quo*), Auct. B. Afr. 28, 80 (*postero die et nocte — confecto*  $\alpha$ : die cum nocte, et  $\text{D}\alpha\text{g}\eta$ ) Tac. H. 5, 23 (*agros cum villis*). 1, 11 (vid. ibi Walther.), Liv. 1, 32 (*ego populusque R. — iudico*  $\alpha$ : ego pro populo R., cuius fetialis sum), 5, 44 (*corpora animosque magna*  $\alpha$ : c. (propterque ea ipsa animos etiam) magna, Horat. Satir. 2, 6, 65 (*ipse meique — vescor*), Valer. M. 9, 2, ext. 5 (ubi *et manus* quasi in parenthesi additum est), Seneca de Const. 19 (si lectio certa est, = Vulgi, ut iniuriae. ita honores aequo animo accipiendi sunt), Suet. Cal. 13 (*populum R. (vel dicam hominum genus) voti compotem fecit*, Lucan. 1, 176, ubi, ut apud Justin. 22, 5, 5 *cinctae* ad maiorem rem *urbes*, illic *coactae* ad gravius *leges* relatum est 2) Videamus nunc

1) Alius generis haec sunt: De Fin. 4, 18, 49 (ubi *tota illa familia* est: ceterique omnes illius familiae philosophi); de N. D. 1, 30, 84 (ubi *beatum — fruentem — sapientem* relatum est ad *solem*, quamquam sequitur: *aut lunam aut coelum deum dicam*, quoniam *dei* nomine appellantur); ib. 1, 29, 82: *crocoditum aut ibim aut selem violatum ab Aegyptio* (ubi *violatum* recte dictum est, ut de rebus animatis: in affirmatione dici potuit: *constat c. et i. et f. sanctos habitos ab A.*, ut dicitur: *Pater et mater mortui sunt*: etsi in iis libris audacius non erat aut corrigere *violatam* aut post *selem* excidisse *aut canem*, qui in Tusc. D. 5 § 78 additur, suspicari). De Off. 1, 1, 1, ubi praecedit *et doctoris et urbis* (ut 3, 2, 6, ubi dicitur *et Athenarum et Cratippi, ad quos*), *quorum*, ut fieri solet, ad rem *animatam* accommodatum est, ut in Livii (21, 50) *Rex regiaque elassis una profecti*, Ovidii (Fast. 1, 287) *Jane, face aeternos pacem pacisque ministros*. Ubi *persona* aliqua ut *res* cogitabatur (ut in Virgilio *Varium — semper femina*), Tacitus neutrum genus posuit: Ann. 14, 78 *carnificem et laqueum pridem abolita* ( $\alpha$ : abolitas res), 1, 46 *patres et plebem, invalida et inermia, — ludificetur*; contra, ubi *personae* notio plus valebat, masculinum: A. 12, 15 *relictos Cotyn et paucas cohortium*, ut Liv. 41, 28 *naves Eudamumque praefectum earum inviolatos atque — appellatos dimiserunt*.

2) De Graecis scriptoribus vid. Matth. 2, p. 825 et Bernhard. p. 431, cuius explicatio eadem est atque Grotefendi, quae quam vera sit, maxime ex Hom. H. 15, 344, Od. 9, 222, Hes. Theog. 973, Eurip. Jon. 712 perspicui potest. Ceteri loci ab illis allati hi pauci sunt: Hesiod. Op. et D. 403 sqq. (ubi tamen v. 406 suspectissimus est); Thuc. 1, 54, 8, 63, Xen. Anab. 1, 5, 6, Paus. 5, 11, 4, qui quatuor eandem fere explicationem admittunt atque Sall. Jug. 49, 5, Tac. H. 5, 23, Hor. S. 2, 6, 65.

nostrum locum. Si de uno Domitio diceretur: *illum D. animum egregium et fortitudinem* aut eiusmodi quid, recte dici *gratum* potuisse non nego, verbis *et fort.* quasi explicandi causa interiectis. Nunc, quoniam *duobus*, qui a P. R. praetores facti erant, *sua utriusque laus* et virtus tribuitur, quae populo grata fuerit, *gratum* perverse mihi ad remotius solum nomen, quod nulla re nisi collocatione propiori antecellit, accommodatum esse videtur, cum praesertim de *ambobus* illa verba interposita sint: *etiam si — potuissent*. Emendatione igitur opus est. Coniecturae sive Pantagathi sive Manutii a Lambino et a Matth. receptae (*gratam*) obstant interiecta illa, quae dixi, verba. Reliquum est, ut legatur *grata*. Quod aptissimum esse facile intelligitur, si (ut oportet) ita explices: „sibi *Domitium* propter illum suum in tr. animum — egr. et *Ancharium* propter illam suam — fortit., etiam si — potuissent, t. v. v. *iucundos fuisse*.“ Ceterum cf. de Fin. 3, 19, 39: *Stultitiam autem et timiditatem* (ita ex Guyeti conj. Bremi; vulgo: *temerit.*) *et iniustitiam et intemperantiam cum dicimus esse fugienda* (ubi dett. edd. *fugiendam*, sed sequitur *ipsis*); in Vatin. § 14, ubi ex edd. sine dubio omnibus Madv. scribendum recte putat: *augurum responsa atque eius collegii arrogantiam non futura* (vulgo *futuram*).<sup>1)</sup> Denique ex GRATA haud multo difficiliter fieri potuit GRATV, quam § 107 *maiores*, ut fuit in Arch., ex *maiore*. Cf. ann. ad § 34.

<sup>1)</sup> In Epp. ad Fam. 6, 10, ut non improbo, quod § 1 ex Med. ab Orellio restitutum est: *ut operam consilium, rem fidem meam — paratam putant* (ubi vulgo legebatur, ut de rebus diversae significationis, per se ipsum non falso *parata*), ita probare non possum, quod § 5 ab eodem non solum servatum est, sed etiam defensum eiusdem ed. mendum: *tibi istam acerbitatem et iniuriam non diuturne fore*. *Diuturne*, si lexicis credendum est, nemo ante Sidonium dixit. Neque *fore* per se potest significare: *mansuram esse*; quod laudat Or., Ep. 12 § 3: *id erit perbrevis*, non est: id non diu occultabitur, sed: id (ut de te perfectum sit) *perbrevis* futurum est s. *set*. Comicorum illa sunt: *diu, dudum est*, non, opinor, item Ciceronis. Is dicere solet aut *diu manet aliquid*, ut Tusc. D. 1, 31, 77, aut *longum est*, ut ibid. § 91: *quid omnino homini longum?* (= Cat. M. § 69: *quid est in hominis vita „diu“*, ubi *diu* indeclinabilis substantivi vicem obtinet — eine lange Zeit —, ut p. Marc. § 27: *Quid est enim hoc ipsum „diu“*, ubi Klotzius retinuit voc. *omnino* ex nonn. edd. et Servio et Schol. Gr. a Steinmetzio recte deletum) aut denique *diuturnum est*, ut Parad. 2 § 18 (*id ipsum ne non sit diuturnum*

59, 127. *quantum inter populum R. et contionem intersit?*  
 In Ab non legitur *intersit*, omissum sine dubio iam in Arch. Est in BC, ed sqq. Cdd. vulg. et edd. vet. hoc loco toto carent. De melioribus tertiae fam. edd. silentium est. Potuit illud quidem fieri, ut cum in ed tum in B coniectura additum sit *intersit*; sed veri similis hoc mihi videtur, excidisse quidem in antiquo aliquo ed., sed iam in Arch. fuisse sive superscriptum textui sive margini adscriptum, itaque in B eosque primae familiae edd., quibus utebantur Hervagius et Naugerius, pervenisse, non item in A et in Ascensianum. Cf. ad § 102 et (infra) ad § 116. Similiter § 103, ubi vulgo legitur: *haec via, haec ratio reip. capessendae*, in Ac omissum est alterum *haec*, in bd, BC, Sct. Vict. servatum: unde Mg. suspicatus est a Cic. scriptum fuisse *haec via reip. c.*, cumque *ratio* interpretandi causa adscriptum in Arch. irrepsisset, ad explendam orationem pronomen in illis edd. additum. At mirum est, si in codicibus non solum sec. et tertiae fam., sed etiam in primae nonnullis (bd.) idem supplementum additum fuit, cum praesertim propius esset, ut *ac* suppleretur. Ego igitur antiquitus fuisse suspicor, ut mavult Or., *haec via a c ratio*, cumque *ac* post *a* (ut non raro factum est) excidisset, in Arch. fuisse

*futurum*), Cat. M. 1. c., de Off. 2, 12, 43, Phil. 2, 41, 113. Ut igitur Ovidius (Trist. 4, 6, 50) dixit: *Haec fore morte mea non diuturna mala*, Cicero quoque illo loco scripsit, ut ex antiqua correctione vulgo legebatur: *diuturnā. Diuturniorem* quod Orell. proponit, aptum non est: laudato loco (Ep. 13 § 3) *diutius* et *diuturnioribus* inter se respondent. — De Fin. 5 § 36 ex optt. edd. (Sp., Erl., Mor., El. 2) legendum est *apti* (vulgo *apta*); namque *habitus, affectiones, usus* unius notionis partes sunt (ut supra *motus ususque*), quarum ad proximam rite aptatum est praedicatum.

- 1) Aliter *via ac ratio* corruptum est in Verr. 5 § 151, ubi in edd. dett. legitur *vi*, in uno meliore *via* post *aliqua* excidit, et 2 § 180, ubi vulgatam ante Ern. lectionem restituerunt Zumptius et Klotzius: *is a vobis, iud., ulla vi aut ratione absolvi potest?*; „pertinere enim *vim* ad opes adversariorum, *rationem* ad eorum astutiam et calliditatem.“ At aliud est *vis*, aliud *opes*, neque, qui *opibus* suis aut alienis pugnat, idem continuo *vi* (*Gewalt*) pugnat, neque, ut vidit Ern., omnino h. l. quaeritur, *cuius rei ope* absolvi possit Verres, sed illud solum, *num ullo modo iudices*, qui tum erant, absolvere eum possint, quem equites R. condemnaturi fuerint. Nihil igitur verius est Ern. coniectura *via*, Lag. 29, codicis propter antiquam suam originem minime spernendi, testimonio nunc comprobata. Fugit scilicet, ut (quod non mireris) Badanium nostrum, qui malebat *via ac r.*, ut 5 § 151, aut *via et r.*, ut de Fin. 2, 1, 3, (ubi nescio an ita distinguendum sit: *Omnis autem, in quaerendo quae via*

*haec* via ratio superscripto voc. *haec* (quod fortasse ex antiquiore supplemento *ac* ortum erat, sicut alibi *hac* et *ac* confunduntur). Ita demum explicari posse mihi videtur, cur *haec* in ceteros omnes edd. propagatum sit, non item in *Ac*. Ceterum Orellii coniecturae non obstat, quod legitur § 100: *Hanc ego viam* cet. (ibi enim *ratio* addere Ciceronem vetabant praedicata *asperam* cet.), neque illud (§ 137): *Haec est una via — laudis*; vix enim *ratio laudis* dici poterat. Omitti *ratio* potuisse (ut § 140) ego non nego: addi recte potuisse nemo non concedet. Cf. etiam § 14. Redeo ad illum locum, unde digressus sum. Quo loco *intersit* facillime illud quidem excidere potuit, sed (ubi in b lacunae signum positum est) inter *quantum* et *inter*. (De eiusmodi lacunis vid. ad § 23.) Ne quis vero dubitet, num illic commode poni potuerit, hi loci velim conferantur: Div. in Caec. § 35 (ubi vulgatae lectioni, quae in nonnullis dett. edd. est, *meam atque tuam*, Zumptius repudiata immerito meliorum edd. et aliquot dett. lectione *meam tuamque* ex interpolato illo suo Guelf. I. substituit *meam et tuam* a Klotzio servatum; sed cf. Verr. 5 § 85: *Vide quid intersit inter tuam libidinem maiorumque auctoritatem*); ib. § 61 (ubi cum melioribus edd. in hac lectione consentit Nonius s. v. *differre*: *Ac vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam*, Z. autem iterum ex uno illo ed. edidit *et tuam*); in Catil. 4 § 9, ubi ego lego: *Intellectum est* (sc. cum Caesar sententiam diceret), *quid interesset* (ita cd. Erf.; de suis silet Steinm.; vulgo: *intersit*: notum est autem, quoties offensum sit in illo praeteriti usu, de quo post Zumptium aliosque ego septem abhinc annis nonnulla disputavi ad Tusc. D. 5 § 39, ubi optimorum trium codd. et edd. veterum lectionem vindicabam: *si eius acies ita* (c: ea diligentia et cautione) *curata est, ut ne caecaretur erroribus*, ubi vulgo legebatur: *caecetur*) *inter levitatem* cet.; de l. Agr. II § 19; Or. p. Red. ad Quir. § 13; p. Domo § 84. Eiusmodi autem collocatione efficitur, ut ea, quae inter se differre dicuntur, cum iis, quibus discrimen eorum explicatur, artius iungantur.

---

*quadam et ratione habetur, oratio —*; vulgo sic: *O. autem in q., quae*), ita Zumptium illo quidem loco usus ille particulae *aut*, de quo Mg. bene praecipit in Opp. p. 456 (ad Sestian. § 31) et p. 344. Cf. ipsum Zumpt. ad Verr. 3 § 220 et me (infra) ad § 143. Etiam de Orat. I § 97 et § 11 et Tusc. D. 3 § 42 *via* et *vis* confusa sunt.

Venio ad eas aliorum coniecturas, quae mihi vel in textu ponendae ab Orellio vel probandae saltem fuisse videntur.

5, 12. 1) † *praedari*. Primum in textu ponenda fuit corrupta ed. archetypi lectio *praeclara*, non mala illa Naugerii coniectura. Deinde, quod Mg. legi vult, *peragrarere*, sine causa improbat Or., ut „verbum nimis *tranquillum ac pacificum*, ubi de multo sanguine et totius Italiae vastitate sermo est.“ Videat enim V. Cl., quam *pacificum* sit his locis: de Prov. C. 13, 33, p. Balbo 6, 16. Tum „*multus ille sanguis*“ cum *internecione* Catilinae („*concidisset*“), non cum ipsis eius per calles desertaque loca itineribus coniunctus fuisset. Si enim per illas evasisset, tum extractum longius bellum nisi multa cum caede confici non potuit. Cf. etiam p. Scauro § 25, de Div. 1, 42, 94, Lucr. 1, 925, Virg. G. 4, 53; p. Caelio 22, 43. Or. ipse mavult *penetrare*. At *penetrare locum* non magis Tullianum est quam *locum praedari*: Cicero dicit: *aliquo, ad, in locum p.* In *praeclara* latere verbum aliquod cum *per* compositum persuasum habeo; constat enim *per, prae, pro*, quae notis scribebantur, inter se saepissime confundi. Cf. Walther. ad Tac. V. Agr. 23. Ita pro Sestio § 14 A(B)C *prestringerem p. perst.* habent, in Vatin. 10, 25 *Ac perstringebat pr. praes.* Atqui in *praeclara* vix aliud eiusmodi verbum depravatam esse potest, quam aut Madvigii *pagrarere* aut, quod non praefero, *pvagari*. Cf. Verr. 5 § 97 et 99, Liv. 38, 17, Vell. 2, 97 (ubi ed. *peragratus*, Rhunk. recte *pervagatus*). Paulo post (6, 15) Baiteri suspitioni, delendum esse *insectantur*, praeter alia repugnat ipsa concinnitas verborum contrarie inter se relatorum: *tacent et quiescunt et se offerunt, ins.*

7, 16. *fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inaudita libidine insani.* *Insani* corruptum est. *Insana cupiditas, libido, amor* a Latinis dicitur, etiam a Cic. Quis autem bonus scriptor dixit aut dicere potuit non modo *inaudita omni l. insanus*, sed *fraternis — stupris i.*? Quid *insania* ad id pertinet, quod Cic. probare vult, nullos suos Clodium habuisse *nervos*? Per

1) Scribendum h. l. ex A. fuit: *nactus* pro *nactus*. Illa forma (de qua consulti possunt lexica et Struve p. 208) ex *nancio* derivata, ut ex *sancio sanctus*, non solum Livius usus est, sed etiam Phaedrus (2, 4, 2 ed. Pith. et Rem.) et sine dubio alii. Quantum in orthographia Latina constituenda A. habeat auctoritatis, infra ostendam.

zeugmatis figuram *insani* cum *fraternis* — *stupris* iungi posse Or. (in ed. alt.) existimat, ut intelligatur *enervati*. Si quidquam, hoc est illa figura abuti: quid enim in *insaniae* notione inest, ex quo illud intelligi possit? Legendum est, ut iam in a (et in ed. Junt.) correctum est: *infamis*. In antiquo aliquo cod. cum *s* ante *set* excidisset, literarum similium, longae *l* et *f*, *n* et *m* confusione (memineris codicum *Fusiorum*), scribi coeptum est *insani*. Non modo Latinum, sed etiam Tullianum esse *flagitiis*, *stupris*, *vitiis*, *dedecore infamis* lexica docent<sup>1)</sup> Aptissime autem in hac lectione dictum est illud: *inaudita* (in ceteris hominibus) *o. l.*, quod in vulgata misce languet. Quae vero sententia in totum locum magis cadit quam haec: „Quos nervos is habere potuit, quem in fraternis — stupris omnique vel foedissima lib. versatum fuisse fama cognitum est?“<sup>4)</sup> Denique vide ne ipse Schol. Vat. in suo cod. ita legerit: qui quidem ad verba ex Tullianis excerpta: *frat. — flagitiis* haec annotat: „Et Appius Claudius maior natu infamis in eundem Clodium<sup>2)</sup> fuerat et soror Clodia.“ Neque enim raro is in commentario ipsius Ciceronis verbis utitur; id quod hoc loco eo magis facere potuit, quod in lemmate illud *omni* cet. positum non erat.

10, 23, *Verbum ipsum omnibus . . . . animi et corporis depravat*. Orellio etiam nunc excidisse videtur *partibus*, qua coniectura reprehensa Mg. legendum proposuerat *omni vi pro omnibus*, quod cum aptissimum est, tum facile in *omnib.*<sup>3)</sup>, (ut vel in antiquissimis edd. interdum scribebatur pro *omnibus*) depravari potuit. Notum est codicum mendum *B* pro *V* et contra scribendi, ut in *Avitus*, *avere*, *acerbissimum*, *sibi* (*sivi* in fragm. ed. Virg. Saugall. sec. IV.), *sive* (*sibe* in Pal. Taur. p. Tullio § 32, *sibi* in

1) Citantur Verr. 4 § 20 (*infamis tuis stupris flagitiisque*, ubi *tuis* dictum est ut h. l. *fraternis*), p. Cluent. 47, 130, Vell. 2, 45 (de eodem homine: *infamis etiam sororis stupris*), Ter. Heaut. 5, 4, 14.

2) Id est: *inf. de* (v. *in*) *illo Clodio* s. i. consuetudine Clodii. Cf. Quintil. 9, 2, 79: *infamem in matrem filium*, ubi Zumpt. sine causa mavult: *matre*. De *in* ita posito cf. Walther. ad Tac. A. 2, 39 et 3, 24; addo 1, 28, 35; 2, 39; 5, 4.

3) Similiter pro Balbo § 55 in ed. Par. lectione *praetorem urbi* vix aliud quidquam latet quam *pr. urb. o.*; ut vulgo editur, *pr. urbanum*, etsi in Verr. 1, § 143 in edd., etiam in ed. fragmentorum Vatic., est *Pr. Urbis*, quod Klotz. ex solo Huyd. in *pr. urbanus* mutavit.

A. pro Cael. § 18). Nihilominus, quoniam tam saepe in Arch. factum est, ut propter ductuum similitudinem nonnulla omitterentur<sup>1)</sup>, ego quoque in eam sententiam inclino, ut excidisse voc. aliquod putem, et quidem *viribus*. Cf. Tusc. Dispp. 4, 13, 31: *Viribus corporis — animi vires*; de Off. 1, 23, 79 *animi, non corporis viribus*; Tusc. D. 3 § 6: *omnibus opibus viribus* (ita ed. Reg.; in perbonis edd., Gryph. et Bern., excidit *viribus*), ut — nobis (3: animo nostro) *mederi possimus, elaborandum est*; ib. 11, 25: *omnibus viribus atque opibus*.

10, 24. Ego ita lego et (cum Matth.) distingo: *Sed itast, iudices: (Or.,) ut — noceat, (Or.;) sin — vulnerare* (ita b., Lamb.; vulgo *volnerari*), (Or.:) *ita, cum etc., 3: „Ut parvus puer gladio accepto, qui ante suis ipse viribus nemini nocere potuerit, idem iam (gladio armatus), si ad nudum corpus accesserit, possit ferri viribus vel fortissimum virum vulnerare, ita homines enervati consulatum adepti, qui ipsi per se ne pungere quidem quemquam (privatum) potuissent, iidem tum consulatus nomine armati ipsam remp. contrucidare potuerunt.“* Verbis enim *sin — accesserit* illa: *si — dederis* opposita esse non possunt. Quenam igitur? Nulla invenio, nisi haec: *ipse impetu suo 3: „si gladio nullo accepto ipse i. s. utatur.“* Illud autem (*si — ded.*) antecedens est non horum tantum verborum: *ipse — noceat*, sed totius illius periodi: *ipse — voln.* In altero comparisonis membro verba *summi imp. nomine armati* simul et *sin — acc. et acie — viribus* oppositum sibi habent. De contrariis sententiis (*ipse — noceat et sin — vuln.*) sine ulla coniunctione (*cum*) iuxta se positae vide sis Madvigii Emendd. in lib. de Legg. et Acadd. p. 25 sqq. In mea quidem explicatione perspicuum est quam necessaria sit lectio *volnerare*, cuius verbi si quis desideret obiectum, ex *nemini* intelligere *quemvis* recte potest. Sed ne in Orellii quidem interpretatione, qui *ipse* de *gladio* dictum accipit (qui quem *suum impetum* habeat, nescire me fateor) atque subiectum verbi *accesserit* facit, ferendus mihi videtur ille ab alio subiecto ad aliud trans-

<sup>1)</sup> 8, 19 *uade post tanquam*, 25, 55 *lege ante legem*, 48, 103 *nitebantur post videbantur*, 50, 107 (ubi excidisse *praebuit* probavit Madv., ut equidem opinor, ante *P. R.*, non post *populo Romano*), 17, 39, ubi ante *praesesse* deesse *r. p. 3: reip.* certissima est Orellii coniectura. Cf. ann. ad § 127.



itus. Ceterum, quoniam in ABC post *voln.* excidit *ita*, suspicor in Arch. fuisse *volnera ita* cum aliquo syllabae *re* compendio.<sup>1)</sup>

11, 26. *meque etiam*. Madvigii coniectura (*meque iam*) tam certa est, ut in textu ponenda Orellio fuerit. *Etiam* neque auct. neque soga r. h. l. significare posse Mg. notavit. Ne not. quidem consentaneum est. Aptum solum est *iam*: id quod melius intelligitur, si, ut oportebat, *ita* distinguitur: *meque* — *omni ratione privato consilio* (Or. *ratione*, p. c.; at non sunt Ablativi inter se coordinati), *quoniam publicis ducibus resp. careret*, def. p. Or. *ita*: (*quoniam* — *careret*) d. p. Oppositionis causa verba *quoniam* — *careret* non post *iam* posita, sed post *priv. c.* demum sunt. Obvium in edd. est *iam* vel *tam* post *e* in *etiam* mutatum, ut in Epp. ad Att. 1, 2, 1 Med. habet *te etiam* p. *te tam*.<sup>2)</sup>

14, 32. *etiamne edicere audeas, ne macerent* cet. *Audeas* (du darfst wagen) dupliciter (et modo et tempore) soloecum neque Lamb., Ern., Sch. neque Matth. neque Mg. neque vero sive is ipse librarius, ex cuius codice Oxx. et Franc. derivati sunt, sive potius calamus illius tulit: qui omnes mutatione

1) Cf. Walther ad Tac. H. 3, 51. Similiter § 27, quod observavit Mg., male intellecta nota est syllabarum *rentur* in *deprecarentur* (ABC *deprecarere*, Oxx. *deprecatise*, ut § 64 A, 4 Oxx. *querere* p. *quererentur*). Frequentissimae illius infinitivorum confusionis ex hac orat. haec ponam exempla: § 137 ABC *augeri* p. *augere* (ut § 61 *tempore* p. *tempori* et § 73 A *mori* p. *more*), A § 11 et 17 *recordare*, § 25 *dissimulare*, § 77 *complere*.

2) Contra in Verr. 3 § 207 ex Vat. leg. *regna denique etiam omnia*, ubi in dett. edd. et edd. ante Zumpt. est *iam*, quod is ex uno Lg. 42 delevit: at post *e* facile excidit, ut in illis *et*, *ita* in hoc *etiam* per compendium scriptum. De *denique etiam* cf. de l. Agr. 2, 23, 62, p. Flacco 4, 9, p. Sestio 10, 22. De Orat. 1 § 161 vide ne vera sit Bremii suspicio: *nunc* — *mea quoque iam* (vulgo *etiam*) *causa*: antecedit enim in contraria sententia: *antea vestra* — *causa*. De *nunc iam* cf. Verr. 4, 27, 60; Catil. 1, 5, 11, al. Antiquissimos scriptores dixisse: *quoque etiam* (δεσίδεν οαία) et similia certum est: Cicronem non item. Neque enim in Verr. 3 § 206 (ubi *iam*, *allere*, schon, aptissimum est) lectio prorsus certa est, neque alter, qui laudatur, locus, Epist. ad Fam. 4, 8, 1, suspicione caret. Non minus suspectum est *et* — *quoque* in Verr. 1 § 11 et de Inv. 2 § 50. Cf. Epp. ad Fam. 5, 2, 9, ubi ex ed. Md. *et nunc* deletum est. Celsum, Columellam, Suetonium non curo. In Corn. Nep. V. Ages. 6, 2 *et est und*, ut in Verr. 3 § 205.

cum facillima 1), tum, ut in praeterita re, quam *ausus erat* Piso, *narranda* 2), maxime necessaria correxerunt *audebas*. Codicum lectionem bis iam defendit Gr.: qui vellem vel unum certum, (ut *laudes, legas, audias*) *praesentis coniunctivi*, quem vocant, *potentialis* ita positi exemplum attulisset. Ad ea, quae iam a Matthiaeo et a Madygio exposita Orellio persuadere non potuerunt, libet haec addere. „Tum demum rectum esset *audebas*“, inquit, „si Cic. scripsisset aut *parumne erat* aut *fallebas*.“ Verborum *par. e.* aliam esse rationem iure contendit Mg. Non dicam me non meminisse, ubi in hac locutione *erat* positum sit (in similibus loquendi modis necessario dicitur *parum habebat, habuit, contentus non fuit*): hoc dicam, verba illa *P. e., quod*, quae nihil aliud significant quam *Non modo* s. *Omitto*, nihil ad *aud.* pertinere. Cf. in Pison., ubi in eadem re vexatur Piso, 8, 17: *Omitto — illud, consulem edicere, ut senatus scito ne obtemperet —. Edicere ausus est, ut — senatus — ad vestitum rediret.* Potuit nostro loco ita dici: *Tunc, P., non modo neglexisti — afflixisti, sed etiam e. ausus es* cct. (cf. p. Red. in S. 7, 16): sed, *una* fallendi actio (de qua *fallebas* minus commode diceretur) quoniam, quo modo apparuerit, *describitur* (sc. non solum in *negligendo — affligendo*, sed etiam in *edicendo, ne* —), rectissime se habet *audebas* 3): etiamne tantum homines fefellisti, ut *e. auderes* —? Ne indicativus quidem praesentis (quem 1 Ox. et ed. Ven. errore ex errore orto praebent) h. certe l. *inter* tot praeterita ferendus erat.

14, 33. Voc. *legatos* uncis saltem dignum erat. Delendum esse mihi quidem persuasit Mg. Paulo post, ubi post *rem publicam* verbum aliquod excidit, probabilius mihi videtur supplementum codicis C et Car. Stephani, in ed. alt. ab ipso Gr. receptum (*fiabant*), quam quod nunc idem praefert, *ferbantur*. Non de

1) Formas in *ebat, eat, et* desinentes saepissime confundi notum est. Cf. p. Balbo § 24 (ubi optimi cdd. *videbamus*, alii *videamus* pro *videmus* habent), Madv. ad eiusdem orat. § 22, Orell. ad Top. § 34, locum nostro non dissimilem, ubi ille ipse coniectura recte restituit *videbantur* (edd. *videantur*), ut in Oratore § 172 ex dett. cdd. *debebant* p. *debeant*.

2) Alienus ab hoc loco est ille coniunctivi praesentis aut indicativi futuri usus, quo de aliquo interrogatur, num facturus sit aut facere ei liceat, qualia iam fecerit, ut Phil. 7, 2, 5, p. Sest. § 30.

legibus tantum *illa omnia* cet. dictum esse, sed etiam de ceteris Clodianis turbis intelligitur ex § 35, ubi eadem sententia verbis *eaque* — *comprobarentur* repetita est. Cf. etiam § 33: *se, quae faceret contra salutem meam* —.

15, 34. *arma in templo Castoris* — *comportabantur*. Hanc ed. Archetypi lectionem a Madv., etsi non sine dubitatione („*adducor paene ut credam Cic. scripsisse*“), commendatam, quod Or. in textu posuit, probare nullo modo possum; memorabilem esse non nego. In Pison. 10, 23, qui locus a Mg. laudatur, eandem lectionem in eadem locutione non omnes edd. habent: certe, si silentio Wunderi, diligentissimi collatoris, fides habenda est, in optimo Erf. est, ut ediderunt Herv., L. sqq., *in templum, ut in aedem* sine var. legitur loco a Mg. ipso citato, p. domo 21, 54. Mirum etiam, si Cic. *comportandi* verbum cum ablativo semel aut bis posuit, in verbis *conferendi, congerendi, convehendi, contrahendi, cogendi, conducendi, colligendi, congregandi, coëundi, conveniendi* 1) cet. idem nunquam fecit. Quod nos Dani interdum

1) In Laelio 16, 58 meliores edd. recte: *in amicitiam congeratur* (dett. *amicitia*), ut in Sall. Jug. 5, 4 Kritzius ex plerisque et melioribus: *in amicitiam receptus p. in amicitia r.* Quod ante in Epp. ad Att. 11, 17, 1 legebatur, *in his locis conveniunt*, nunc ab Or. ex Ep. ad Fam. 9, 14 recte mutatum est in *in haec loca veniant* (Or. errore *veniunt*). Scilicet *his locis conv.* correctio quaedam videtur esse antiqui mendii *haecloconven.*: similiter certe in Cacliana § 29 ex *cā (causa) nititur* ed. Erf. fecit *conicitur*. Apud Phaedrum (5, 1, 15) vel coniectura illud *in conspectu meo Audet venire* mutandum fuit in *conspectū mei*, ut est in ed. Perott. Vulgatam lect. defendit Kritz. (ad l. c.) ita explicans: „quinam cinaedus ille, qui in c. meo est, audet huc venire?“ At *cinaedus ille* cum *in c. meo* iungere Latinitas vetat; deinde in illa explicatione foede abundat *in c. meo*; denique nimis nude ita positum esset *venire* (de suo Kr. addit *huc*). Non minus perverse explicando defendere idem V. D. studet illud Varronis de L. L. lib. IV: *qua in Coelio monte* (id est ex Kritzii sententia: „ab iis, qui in C. m. iam sunt“<sup>1)</sup>) *itur* (leg. *Coeliā montē*; e littera *m* mendose semel tantum scripta hoc loco, ut illo Phaedri, error fluxit) et Petronii (c. 19): *Vetui in hoc deversorio* („: ab iis, qui in h. d. sunt“<sup>1)</sup>) *quemquam admitti*, ubi nullo periculo legi potest: *deversoriū*. Apud Caesarem B. G. 4, 12, 7, 48, 8, 8, 23, 27, 29, 48 merito repudiatae ab editoribus sunt nonnullorum, partim honorum, codicum lectiones: *in conspectu venissent, proferre, adducit* cet. In Declam. in Cic. 4, 7 recte ex aliquot edd. legitur, (cf. Quintil. 11, 1, 24): *in concilium* (alii edd. *concilio*) *deorum admisit*.

ad hunc modum loquimur: sammenbære i Gaster's Tempel pro eo quod est til, vix ad rem pertinet: nos enim iidem dicere sole-  
mus: bringe i Huu's, komme sammen i Kirken, springe i Vandet, cetera,  
ubi constanti loquendi usu in Latinorum (ut in Germanorum) cum  
Accusativo casu (cuius sua propria forma in nostro sermone nulla  
est) iungitur. Quod autem Mg. usum verbi *abiiciendi* confert  
(de Or. 1, 7 extr., de Fin. 5, 30 extr.), id verbum mihi quidem  
non huc advocandum fuisse videtur, sed, ut in versu Cic. de  
Divin. 1, § 106: *abiicit — et affligit in unda, Seque —* (nisi aut  
*undā* legendum est aut, ut ed. Lamb., *undas*) ad verborum *po-*  
*nendi, locandi, statuendi, prosternendi* analogiam esse referen-  
dum. Quid enim aliud est *iacere*, quam aliquid ita *ponere*, ut  
prius e manibus *miseris*? Recte igitur apud Caes. (B. G. 5, 10),  
ut apud Ovid. (M. 13, 536), in plerisque et optt. edd. legitur: *in*  
*litore eiectus*. Durius Ovidius in M. 3, 90: *coniectum in gutture*  
*ferrum*: nisi forte ita dixit propter id, quod sequitur, *pressit*. Ego  
igitur codicum lectioni praefero, quod est in heb. et sqq. edd., *in*  
*templū*, et suspicor *in templo* ortum esse ex antiqui alicuius ed.  
scriptura *in templō*.<sup>1)</sup> Simili mendo foedatus est ed. Med. in

1) Potest fieri, ut antiquissimus *ō* pro *ū* scribendi modus Ciceronis aetate non  
ibi solum servatus sit, ubi praecedat *u*, ut in *vulgus, servulus*, sim., quae a  
Quintiliani (1, 7, 26) etiam praceptoribus ita, ut in antiquissimis quibusque  
codicibus nunc leguntur, *vulgus, servulus* scribebantur, sed etiam alibi, ut in  
*loquuntur, postulo*, quae in iisdem nonnumquam scribuntur: *locontur* (A. p.  
Sestio § 115), *postolo* (ed. Rem. apud Phaedrum 1, 8, 12, ubi idem cum ed.  
Pith. *incolome*). Tantum autem constat, saepissime in edd. confundi *u* et *o*.  
Inde crebra adverbiorum *primum* et *primo* inter se permutatio, ut p. Deiot.  
§ 18, ubi, si verum est, quod mihi persuasum est, *primo* a Cicerone quidem  
semper de *tempore* dici (c: *initio*), nunquam in *enumerando*, necessario ex  
edd. Col., Dr., 2 Oxx. (de suis silet Steinmetz) legendum est, ut edidit Lamb.,  
*primum*. Contra in Epp. ad Att. 2, 16, 1 pro *Primum* (quod vix, ut debebat,  
significare *initio* potest) *ita me pupugit* ex Med. m. 1 cum Viet. (ed. L.) et  
repet. Lamb. lego: *primo* cetera, (paullo post, ubi enumerantur Tullii cogitatio-  
nes, recte legitur: *Primum*). Cf. p. Sestio § 117 (ubi A peccat *primum*)  
§ 50, in Verr. 4, 61, 138; 2 § 55 (ubi Zumpt. ex Lag. 42 *primum*, ceteri  
edd., etiam Vat., ut vulgo edebatur, nunc a Klotzio quoque, recte *primo*,  
ut paullo post ex Vat. et Lag. 42 a Klotzio recte scriptum est: *cum primo*  
pro c. *primum*; cf. 2, 9, 26); 4, 61, 136 (ubi, ut in enumerando — sequitur  
*simul et* — Zumpt. e melioribus edd. recte edidit *primum p. primo*). Eandem  
causam esse puto, cur bis apud Cic. pro *commodum* (even) libri praebant  
*commodo* aut *commode*. In Verr. 3 § 61, ubi vulgo legitur: *atrahitur*

Epp. ad Att. 4, 3, 3: *Discessimus in vestibulo M. Tetii Damionis*, quod Klotz. (Œ. J. 8, 55) defendit ita explicans: „Wir (o: wir und unsere Verfolger) trennten uns an der Vorhalle des M. T. D.“ At primum, ubi *discedere* sic simpliciter significet sich trennen,

---

*Lollius, commode cum Apronius — decubisset. Statuitur Lollius in — convivio*, in melioribus cdd. (Lag. 42 et sine dubio in gemello eius Fabriciano) *commodo* est, in Vat., quem meliorum et deteriorum in syllaba *com* consensus erroris convincit, *postmodum*, id est, ut Lamb. in marg. ed. 1584 coniecit, *commodum*. Klotzium autem, ut cum Lamb. in marg. (sine dubio ex Fabric.) voc. *decub.* de conviviis a Cic. vix usquam positum (solet dicere *accumbere*, *recumbere*) iure correxit, cum ex Vat. eaderet: *recubisset*, ita ex eodem cd. cum bonis lectionibus referto, tum foedissimis mendis plenissimo voc. illud *postmodum* non modo, quod quidem sciam, non Ciceronianum (Terentii est et Augustei aevi scriptorum), sed a loci sententia alienissimum recepit sic distinguens: *Lollius. Postmodum cum — decub., statuitur cet.* Ita nimis nude dicitur illud: *adducitur — Lollius.* Quo adducitur? ubi asservatur, donec Apronius — rediret? Friget omnino *postmodum* in vividiore illa narratione, quae eiusmodi particulas respuit. Vide enim ut sententiae a suo quaeque verbo simpliciter incipiant; *Refertur — Mittit — adducitur — Statuitur —.* Contra nihil aptius est quam *commodum cum*. Illud ipsum, quod *eodem* tempore attrahebatur L., quo in triclinio Apronius recubuerat, in causa fuit, cur ab Apronio, qui datam contumeliis eum onerandi occasionem cupide arriperet, in illo *tempestivo gladiatorum* convivio L., *eques R.*, statueretur. Alter locus est in Epp. ad Att. 2, 12, 1, ubi ante Sch. et Or. legebatur, ut est in Med., (de Bosii et Lambini cdd. multo melioribus silentium est), *Emerseram commode — cum*. Illi recte scripserunt *commodum*. Num Plautus, qui toties *commodum* habet, semel *commodo*, idem in Trin. 2, 3, 9 (in extremo versu) ipse scripserit *commode*, dubito. — In Verr. 5 § 118 Vat. recte, ut apud Nonium est, *postremum* (meliores cdd. *postremo*) *spiritum*. Pro Archia § 31 cdd. omnes o: *unus* antiquus: *quanto* (sc. ingenio) *id* (sc. ingenium) *convenit existimare*, quod Stürenburg. et Klotz. concoquere potuerunt, non item Lamb. sqq., qui recte ediderunt: *quantum*. Cf. p. Rosc. C., ubi cdd. bis peccant *quanto* p. *quantum*, § 11 et 12, ubi ego ita lego: *arbitrum sumpseris, quantum aequius et melius, id* (cdd., edd. *sit*) *dari repromittive, si pareret?* Nam *sumpseris — pareret* postulabat *esset*, ut recte paullo post est in verbis *Quantum — petiit*. In formula h. l., ut supra (*Quantum melius et aequius, id dari*) rite cum verbum copulativum omissum est, tum *id* positum. Ex *melius* facile in uno codice antiquo fieri potuit *m. sit*. In Verr. 2 § 62, ubi ceteri omnes habent *Romae biennium prope fuerunt*, non recte ex Vat. Klotz. edidit *biennio*. An Cic. p. Quintio § 23 dicere potuit: *Romae diebus xxx fere Q. commoratur?* Dixit, ut debuit: *dies o: per d.* Contra recte dicitur ibidem § 40: *Anno et sex mensibus* (o: *in anni et s. m. spatio*) sive (ut Caesar B. G. 1, 36 dicit: *inter annos XIV tectum non subsissent*)

equidem nescio; deinde *in* est *in*, non *an*; denique ex sqq. „Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipse occidi potuit —“ luce clarius est, non in *diversas* partes discessisse Tullianos et Clodianos, sed ex pugna in Sacra via coorta in Damionis *vestibulum* discessisse Ciceronem cum suis, eiusque aditu Clodianos insequentibus prohibuisse. Recte igitur se habet vulg. lectio: *in vestibulum T. D.*; nisi forte cum Lamb. (de cuius cdd., ut de Bosianis, siletur) legendum est: *i. v. M. T. D.* Contra ibid. § 4 vide ne Muretus recte legerit cum cd. (?) Ursini: *nisi Milo in campo* (cf. § 5 *in foro*) *obnuntiasset*: vulgo *campum*. Pro Font. loco illo conclamato (5, 19) si ita legitur et distinguitur: *profectum; itaque — exegisse, Croduni—M., Vulchalone—M., atque in his locis* (sc. *Croduni et Vulchalone*, quod ipsum significat corruptum codicis Vat. glossema *se crodunt Vulchalone* ab Ern., Beck., Sch. iure expulsum) *ab iis* (sic ego  $\sigma$ : a Porcio et Munio; cd. *his*) — *exactum, si qui* (sic omnes fere ante Or. et Klotz., qui ex cd. *quis*) *Cobiamachum* (sic ego, quod oppositum *Tolosam* flagitat; cd. *Cobiamacho*: quid autem hic sibi vult *Cobiamacho* *deverti*?) — *vellent; Elusione duluscantum* (sic Niebuhr.; cd. *elesioduluscantum*) — *exegisse* (sic ex Pantagathi con. Ern., B., Sch.; cd. *exegissent*): nihil iam, opinor, merito offendere potest, nisi duplex illud *M* (in quo lateatne *N*  $\sigma$ : *nummos*, alii viderint) et corruptum portitoris nomen *duluscantum*. Ut in Vat. § 22 A. corrupte *domum* p. *domo* habet, p. Cluentio 13, 38 meliores cdd. *in forum* p. *in foro* (ibid. § 101 dett. *in medio* p. *in medio*), ita p. Caec. § 66 in cd. Erf. est: *haec* (sic is recte  $\sigma$ : homines cogere, armare, mortem munitari) *interdictum praetoris vindicavi* (sic etiam vett. edd.; recte Herv. sqq. *interdicto* — *vindi-*

---

*inter* — *annum et s. m.*) — *verbum nullum facis*; ibid. § 41: *ne appellaturum quidem biennio* (§ 46 de eadem re: *qui inter tot annos ne appellarit quidem Q.*). Ibid. § 30 sine dubio Cic. dixisset: *Anno et sex m. nihil petit, nisi sequeretur: quiescit*. Nunc dixit: *Annum — petit, quiescit*  $\sigma$ : *per annum — quiescit nihil petens*. Certe p. Murena § 21 ex Quintil. 5, 13, 27 legendum est: *tot annis* (vulgo: *annos*) *forum non attigeris?* De Off. 3, 2, 8 *annis* iungendum cum *postea quam* est: alioquin dicendum fuit: *xxx annos vivisse P.* Apud Caesarem (B. C. I, 47) *audacius vix erit*, ut in *libris* ex minus bonis cdd. editis, *legere horas*: apud Suetonium (Cal. 59), *Tacitum* (A. 1, 53; 4, 71; 6, 51; 12, 23; 14, 29) eiusque actatis scriptores ablativus nihil offendit.

*cari*), unde Klotz fecit *haec — vindicare*: at cf. § 63: *Quibus — rebus plerumque vis fit eiusmodi, eae* (sic distinguendum est  $\alpha$ : *vis talis*, qualem Cic. supra definiverat: „*quae ad caput ac vitam pertineret*“; vulgo ita distinguitur: *fit, eiusmodi eae*) *res appellantur in interdicto praetoris* cet. Item p. Deiotaro § 21, ubi rectissime ex ed. Haun. Madvig. edidit: *in cubiculo* (sc. *vomere*) *malle dixisti*, ed. perbonus, Colon., habet *in cubiculum m. d.*, aliquot Lni *in cubiculo te m. d.*, Erf., ut vulgo legitur, etiam a Steinm. (qui de suis cdd. silet) et a Klotzio, ex interpolatione: *in cubiculum te ire m. d.* P. Murena 15, 32 (ubi ad Niehuhrii con. *pugnax et acer*, si opus est, confirmandam cf. fragm. lib. V. de rep. apud Nonium s. v. *lentum*) plerique cdd. habent *cum bellum in- vectum*, pauci, ut recte in ed. Ven., Grut., aliis est, probante Klotzio, *cum bello inv.*; cf. de Provv. Cs. 4, 6. In Epp. ad Att. 3, 2, 1 Asc., Crat., Lamb. recte legunt: *non habebam locum, ubi — diutius esse possem, quam in fundo Sicae*  $\alpha$ : nullo loco d. e. poteram q. i. f. S. Vulgo legitur laxiore structura: *quam fundum S.*; sed cd. Med., v. c. (Tornaes.) et sine dubio omnes habent q. *in fundum S.* In Epp. ad Qu. fr. 2, 4, 2 Med. habet *animo adverto*  $\alpha$ ., ut multis locis apud Tullium ex cdd. restitui potest, *animum adverto*. Vide igitur ne haud nimis certa sit locutio illa *iudicio pati* ( $\alpha$ : i. secum agi pati), quam Klotz. vulgatae: *iudicium p.* his locis substituit: in Verr. 2 § 60; 3 § 68; p. Quintio § 87. Certe p. Quintio § 63, ubi Klotz. ex cdd. edidit: *Non est istud pati neque iudicio defendere*, quod explicat: *N. e. i. iudicio p. n. i. d.* (quasi vero pro: *Hominem non vidi neque novi dicere liceat: Non v., n. hominem novi*), recte vidisse videntur, qui post *istud* addiderunt *iudicium*: nisi forte altius latet vulnus. Quantum autem in eiusmodi re illius orationis codices habeant auctoritatis, intelligi potest ex § 66, ubi multi habent *se iudicio id, quod edat, accipere p. iudicium*. De Verrinarum cdd. supra dixi.

19, 42. Rectissime Or. et Dobraeus coniecerunt legendum esse *ac dissipatam* (cdd. *ac superatam*); sed restituenda est antiqua scriptura: *dissupatam*, quam § 91 servavit A.  $\alpha$ : Arch., (unde in Pal. 9 erratum est: *disputatos*), in Vatin. § 34 Vat. et A., in Lael. § 24 Langii cdd. Paulo post (§ 44), ubi Or. Madvigii coniecturam recepturus erat, errore aliquo *mihi ante pereundum* positum est, quod post *plaga* ponendum fuit.

20, 46. *depugnarem potius —, quam non — subirem?* Consentiant Or. et Klotz. (R. J. 11, 320) cum Gesnero et Madvigio (quorum uterque *non* delendum putavit), ad sententiam Ciceronis efficiendam negationem nullam desiderari. Nihilominus pro *non* pugnant advocata Graecae et Germanicae linguae analogia (*mäl-lön ē ū, lieber als nicht*). Addere potuerunt Francogallorum *que ne*. Hactenus quidem cum Graecorum usu, quibus licuit praecedente aliqua negatione (interdum interrogando, ut in Xen. Hell. 6, 3, 15, aut alio quo modo, ut apud Thuc. 3, 36, obscurius significata) superfluum negationem ponere (cf. Bernhardt p. 438), noster locus congruit, quod praecedit interrogatio ad negationem inclinans. Sed illud ego Klotzium etiam atque etiam rogo, ut in critica, quam parat, editione locis non dubiis aut ex Cicerone aut etiam ex alio aliquo bono sive prosae scriptore sive poeta collatis probet, quod l. c. simpliciter pronunciat, *Romanos* quoque negationem illo modo posuisse. Quod si fecerit, tum demum mihi quidem de huius loci sanitate persuaserit. Rogabit me fortasse vicissim Kl., ut ex Cic. locos afferam, ubi in tali interrogatione post *potius quam non* addiderit *non*. Illius quidem nullum nunc memini, ubi illa interrogandi forma usus sit; sed Terentii similem locum laudare possum, Hec. 4, 1, 17—20 (cuius sententia haec est: Ne malles optare puerum perire potius quam adversum animi tui libidinem esse cum illo nupta). — At, inquit, quid istud *non* in textum irrepsit? — Quis sciat? Ego tamen hoc suspicor, ab aliquo librario, quem (ut alibi accidit) interrogatio, quae in illis verbis inest, fugisset, ad sententiam Ciceronis servandam illud *non* verbo *depugnarem* in margine adscriptum fuisse, post autem (ut alia multa) ab indoctiore alio homine in textu loco non suo positum. 1).

1) Hoc de loco non miror a Madv. non esse persuasum Klotzio, qui non modo in Verr. 4, 57, 127 apertissime vitiosam negationem ante *sustulisset* positam neque cum Garatonio et Madvigio deleverit neque cum Herelio et Zumptio in *una* mutaverit (quae mutatio, etsi non facilius, tamen aliquantum ex § 79, ubi in simili re dicitur: *si etiam basim — sustulisset*, habet commendationis), sed ne 1, 15, 39 quidem ex verbis *non modo non existit* posterius *non* omiserit, quod Madv. et Z. firmissimis argumentis falsi eoarguissent, Madv. etiam gravissimis Pseudo-Asconii et Augustini (C. D. 19, 5) testimoniis convicisset. Quare suspicor in Verrin. 1, 25, 65 et 5, 16, 40 eundem V. D. non tam rationi, quam codicibus obsecutum esse, cum illic ex verbis *tametsi*



21, 47. Hic ego ita scripsissem: *At civis, at 'ab eo privato [armato], qui sine armis etiam consul rem p. conservarat. Etsi dubitari non potest in Caeliana Lambinum codices habuisse non ex nostrorum codicum fonte derivatos (cf. Or. ad Cael. § 54, Mg.*

*non erat ignarus cum Naug., Lamb. sqq. non, quod praeter Nonium tres edd. deteriores non habent, omisit, hic in verbis responsum nullum dedisti Madvigio propter sententiam, accedente meliorum codicum testimonio, nullum deleri iubenti cum Or. paruit. Neque igitur magna spes est, fore, ut p. Rab. Post. 16, 44 ex codicum et edd. vett. scriptura: quod posse non speret idem cum Crat. sqq. et Madv. (Opp. p. 384) negationem perversissimam expellat, aut ut in Phil. I, 6, 13, ubi in cd. Vat., aliis est nusquam, cum Grutero, Ern., Sch., Madv. (Opp. p. 202) ex compluribus edd. usquam edat. Sufficere possunt illa negationis prave additae exempla: haec tamen non inutile erit adiungere. In Lael. 23, 88 permulti librarii, qui verba si — habuisset non cum iis, quae proxime praecedunt, quae i. fuisset, sed cum superioribus insuavem — fore iungerent, partim (19 Aldi edd.) scripserunt nisi — habuisset, partim (Vind. II, alii): si — non habuisset. In Epp. ad Att. I, 10, 6, ubi recte (cf. ep. 8, 3) nunc vulgo editur, ut est in Md. a pr. m. et sine dubio in Bosii edd. fuit, sponsorem appellat, Md. a sec. m. indeque derivati edd. habent: s. non app. De Fin. 3, 22, 74 non dubito quin Madv. in sua editione cum Matthiaeo deleturus negationem sit in verbis: quid non sic aliud ex alio nectitur (o: omnia Stoicorum decreta tam apte compacta atque coagmentata sunt), ut non, si unam literam moveris, labent omnia? post ut positam. Quod vulgata (o: codicum) lectio dicit: non, s. u. l. m., labant omnia: ita omnia aliud ex alio nectuntur, absurdum esse cum praecedentia et sequentia clamant, tum locus ab ipso Or. cit., 4 § 53, ubi haec ipsa Catonis verba repetuntur. Cf. etiam Tusc. D. 4 § 10. Scilicet stupidus aliqui librarius aptae firmacque compositionis esse putabat, non ut una litera commota dilaberentur omnia, sed ut, si una litera mota esset, tamen non omnia labarent. Ceterum ex Marklandi conii. Ern., Sch., Or. non debuerunt legere unam. Namque idem fere (aliquam vel unam, noget, selv blot eet eneste) codicum ullam significare cum ipsa vocabuli etymologia (unulus) docet, tum constans scriptorum usus probat. Cf. Acad. 2 § 101: Si ullum sensus visum falsum est, nihil potest percipi, quod idem paullo ante ita enunciatur: Hoc si ita sit, ut unum modo sensibus falsum videatur cet., de N. D. I, 25, 70 ita: si unum visum esset falsum, de Fin. I, 7, 22 ita: sensibus si semel aliquid (= unam aliquid, ut Tusc. D. I. c. unum aliquid) falsi pro vero probatum sit cet. Loco libri quarti cit., quod una dicitur, nihil efficit; variantur enim cetera quoque ex illo loco repetita. — In Epp. ad Qu. fr. 3, 4, I tuto edi in futurum poterit, ut legitur a Crat., Man., L., Vict.: nullam in ullo nostrum dignitatem. Si nullo in ullo cod. est,tribuendum est frequentissimo illi literae alicuius male vel geminandae vel semel scribendae errori, qui in causa est, cur multi etiam nunc viri docti Ciceronem credant interdum dixisse nescio an ullus (p. nescio an nullus), cuius locutionis defensores quo loco maxime ni-*

Opp. p. 405), tamen non contendam ex eiusmodi codice sumtum esse voc. *armato*, quod ille se ait „ex optimo cd. manu scripto restituisse“, sed, ut alia non pauca, nihil esse concedam nisi alicuius viri docti coni. in Memmianam variarum lectionum syllogen receptam. Cf. Mgii Ep. Crit. p. 15 et Lambini annot. ad Sest. § 59. Quoquo autem modo res se habet, egregia lectio illa esse mihi videtur neque ab Orellio, qui eam ante non improbasset, nunc in „Lectt. Mem.“ prætermittenda fuisse. Excidere *armato* facillime potuit post *privato*, non tam facile, ubi a L. positum est, post *ab eo*.<sup>1)</sup> Cf. ann. ad 10, 23. Desideratur autem, quod verbis *sine armis* respondeat. — At, inquit, armorum notio inest in iis, quae praecedunt: *depugnarem — Victi essent*. — Non ita, ut illud *sine armis* cum maiore quadam vi ab initio contrariae sententiae positum iustam oppositionem habeat. Quod si illam notionem intelligi tantum vellet Cicero, sine dubio scripsisset: *qui etiam cons. s. a. remp. c.* Nunc, si *armato* additur, recte se habet *qui s. a. e. c. r. cons.*: qua collocatione aptissimus existit chiasmus. Quod Or. ex

---

tuntur, Lael. §. 20, is iis a Lno, Zumptio, Nobbio, Madvigio iure ademptus est, qui ex multis edd. (Lni, perbono Erf., aliis) legunt: *haud scio an — nihil* pro: *h. s. an — quidquam*. Cf. Madv. praef. ad Cat. M. et Lael. p. 1X. Locus ille Verrinarum (2 § 60: *Debebat E. nummum nullum nemini*), quo Or. illud *in nullo* defendit, nunc ex Vat., qui *nullum* omittit, emendatus est. Duo scilicet librarii, qui *nummum* simpliciter pro *unum n.*, ut *annus p. unus a.*, *litora p. una l.* (cf. De Fin. 4 § 53), dictum non intelligerent, *nullum* addiderunt, unus ibi, ubi in vulg. edd. est, ante *nummum*, alter, ut in melioribus legitur, post *n.* Quare in posterum nemo facile dubitabit in Phil. 6, 3, 7 (*horam eximere nullam — sine scelere non possumus*) aut cum edd. vet. et Or. corrigere *ullam* aut cum Man. delere *non* aut *meum nullam* omittere, ut *horam* sit *unam horam*. Solet enim, quantum memini, in eiusmodi structura negatio *proxime* ante *posse* poni, quo artius id cohaereat, quod fieri non posse dicitur. Cf. de Fin. 2 § 55, ubi codicum vestigia eo ducunt, ut aut legendum sit: *ne nummum quidem attigisset*, aut, ut tacite edidit Bremi: *ne nummum q. a.* In vulgata lect. *ne nummum quidem unum att.*, quae minimum habet auctoritatis, dicendum videtur fuisse: *ne u. q. n. a.* — Addam unum etiam locum, ubi negatio librariis debeatur, Corn. Nep. V. Att. 11, 5, ubi hodie vulgo editur: *neque, si quam iniuriam acceperat, malebat ulcisci, quam oblivisci*, edd. autem ante *malebat* non minus absurde *non* habent, quam in Verr. 1 § 48 Guelf. I. idem voc. inter *ne nunc quidem* et *recordaris* interiecit. Cf. ad extremum Liv. 10, 31 extr. (cit. a Zumpt. ad Verr. 1 § 39).

\*) Utinam h. l. de Gruteri edd. constaret, qui soli § 77 illud *recitata* servarunt!

BC, abed edidit: *qui s. a. remp. e. c. cons.*, cum minus habet auctoritatis (in A. enim et d et ed. Gruteri a: sine dubio etiam in Gruteri edd. ille ordo est, quem nonnihil confirmant edd. Ven., Ju., Lamb., quae habent: *q. s. a. etiam R. P. consul c.*), tum verba *etiam consul* nimis longe a contrario *privato* removet. Accedit autem, quod Cic. ipse paullo ante (§ 43) dixit: *Contenderem contra tribunum pl. privatus armis?*, et, quod maius est, nostri loci variatio in Or. p. Red. in S. 14, 34 (ubi, quae hic copiosius exponuntur, quasi in epitomen quandam redacta sunt): *Nolui, cum consul communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere* (ubi verba *consul c. sal.* et *meam priv.* chiasmum efficiunt). Cf. etiam p. Dom. § 99: *ut consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim*; <sup>1)</sup> p. Plancio § 86: *Decertare mihi ferro magnum fuit c. r. e., quos — sine ferro viceram?*

Ibidem. *Non mihi mors, non exilium ob oculos versabatur?* Ad refellendam Mülleri coniecturam *exitium* a Mg. defensam Or. nihil aliud nisi ad ea, quae in alt. ed. scripsit, a Mg. iam refutata, lectores relegat et conferre iubet p. Archia 6, 14: *omnia pericula mortis atque exili.*<sup>2)</sup> Qui locus, si, ut necesse est, Or.

1) De Ciceronis contraria inter se referendi diligentia dignus est, qui conferatur, locus, qui est p. Cacc. 22, 63, ubi Klotz. (Bd. 1, C. XXIX) legendum esse censet: *non si pluribus, quam si armato*, omisso ante *armato* voc. *uno*, quod non habet Pal. Taur., ceteri autem edd. servant. Quod a Latinis saepe *annum* ita *pluribus annis* opponi contendit: vellem V. D. nobis narrasset, ubi illi tale quid dicerent, quale hoc est: „Non *plures*, sed *annum* Romae fui“, aut: „non *pluribus*, sed *verbo* hoc dicam.“ Equidem eos ita loqui credebam: „non *plures annos*, sed *unum* R. f.“ aut, ut Cicero illo loco ante Klotzium loquebatur: „non *plures*, sed *unum annum* R. f.“, aut denique ita: „*unum a., non p., R. fui*“. Certe paullo ante (§ 62) de eadem re *armatis hominibus* opponitur *homo armatus unus*“ atque ita dicitur: *quod, cum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines iudicarentur*. Ferri poterat, si dictum esset: *non si armatis, quam si armato*: quamquam vel tum *uno* addi potuisse docent verba citata.

2) Ne quis post Klotzium Stürenburgium sequatur, qui ex solo Erf. edidit *exsilia*, haec moneo. Concedo *omnia exsilia* significare posse *omnia exsilia genera*: etsi *exsilia* dictum non invenio nisi de *locis exsulandi* (a Curt., Virg.) aut, ut semel audacius a Tac. (H. 1, 2), de ipsis *exsulibus*. De *duobus* autem *exsilia* generibus (alia *tum* fuisse nulla scio praeter *voluntarium* et *legitimum*) vix *omnia* dixisset Cicero. Deinde membrorum aequalitas postulabat aut:

Madvigio concedit omnem sermonem h. l. esse de *mortis* timore, quam quod *exsilio* non praetulerit, Ciceroni obiciatur, vulgatam lect. nihil adiuvat: ne illud quidem probat, quod Mg. satis redarguit: „ex Romanorum sensu exsiliū peius esse morte.“<sup>1)</sup> Ibi enim gradatio in nominibus *per copulam* iunctis nulla inest, et tamen anticlimax quaedam magis quam climax putanda erat: *cruciatu corporis* (quod morte peius esse omnes consentiunt), *mors*, *exsiliū*. Cf. p. Plancio § 97, ubi vera gradatio est: *cui cum omnis metus* (id est), *publicatio bonorum*, *exsiliū*, *mors*, *proponeretur* (ubi *prop.* singulari num. dictum vix admittit Wunderi coni.: *omnes*). Neque vero in Parad. 2 § 17: *Eum tu — terreto — istis mortis aut* (oder auch) *nut*) *exsiliū minis* gradationem ego ullam agnosco.

21, 47. Probo Klotzii coni. (ad Lael. § 13), legendum esse *ex corpore* (vulgo: *e corp.*), quoniam in Vat. sit: *eo corp.* Ita saepissime a librariis *ex* in *e* mutatum est aut in *et* depravatam, ut p. Arch. § 22, ubi Kl. ex lectione Erf. et plurimorum cdd. *et marmore* scripsit *ex marmore* pro *e m.* (ut est in aliis bonis cdd.). Cf. Verr. 4, 60, 135: *ex marmore*. Idem p. Cluent. § 198 recte edidit: *ex testimonio*, ubi deterior codicum familia, quae *et test.* habet, ut aliis nonnullis locis, verae lectionis vestigium servavit. Vulgo ex pessimo cd. Franc. edebatur *in test.*, ex melioribus autem a Classenio *testimonio* (omisso *et*). At, quantum scio, semper Cic. dicit *ex alicuius test.*, *literis* (cet.) *cognoscere*.

---

*omnes cruciatu corporis, omnes mortes, omnia exsilia* aut certe: *o. c. e., omnia per. m., omnia exs.* Quanto autem concinnior vulgata lect. sit, nemo non videt. Denique nihil aptius est quam quod vulgata lectione aperte dicitur: „in laude persequenda nihil fugiendum esse, in quo *periculum* esse possit, *ne moriendum sit aut in exsiliū eundum*.“ Scilicet, quid *pericula exsiliū* significare posset, non videbat Stür., nisi absurdum quiddam, quod, si quis velit, apud ipsum legat. Ceterum idem Erf. non raro in terminationibus peccat, ut § 23 *continet*, § 24 *forte* pro *fortunam*, ex quo mendo fecisse *fortem* nunc sine dubio ipsum Stür. non minus poenitet, quam § 21 voc. *regionis* (Ϛ: *Ponti*, oppositi *regi*, quod inest in *regiis*) uncis inclusisse, quod in Erf. (et paucis aliis) erratum est: *naturae regione*. Cf. p. Deiot. § 24.

1) De *exsilio supplicii perfugio* locus classicus est p. Caco. c. 34. Cf. Tusc. D. 5 § 106: *Exsiliū in maximis malis* (vulgo) *ducitur*: ergo non summum, non morte peius.

22, 50. Si sana lectio codicum *Minturnis* est, ita explicanda esse videtur: *hominum, qui ex oppido Minturnis erant*, ut p. Cluent. § 36: *Fuit Avillius quidam Larino* (aus !.) — sic recte Klotz. ex Pal. Taur. Flor., Mon. pro deteriorum edd. *Larinas* —, § 197 *Teano Apulo atque Luceria equites R.* — *laudatores videtis*, de l. Agr. 2 § 95: *quae a maioribus nostris alterum Capua consulem postulavit*. Praepositio (*ex*) necessario posita est p. Clu. § 46: *Fabricii fratres — fuerunt ex municipio Aletrinati* (ita ex Prisc. et Flor., Mon. recte Classen., Klotz.; ceteri *Aletrinate*), ut in Orat. § 57 *hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus*. Livius autem oppidi nomini, ex quo quis oriundus esse dicitur, a praeposit, ut 1, 50 *Herdonius ab Aricia*, 2, 22 *principum a Cora*. Atque ii, ad quorum misericordiam confugisse Marius h. l. dicitur, *Minturnis* ad eum in paludibus demersum pervenerunt extractumque mox publice in navigium imposuerunt. Cf. p. Red. ad Quir. 8, 19 (*concurso ac misericordia Minturnensium*), Liv. Epit. l. 77 (*extractus est ab oppidanis*), quocum fere consentit in re illa narranda Schol. Vat. ad Plancianam § 26. Quae tamen explicatio cum paullo contortior sit, vide, ne recte Lamb. ex Passeratii coni., „veteris scripturae vestigia [quae in nostris quidem edd., quantum novimus, nulla sunt] secutus“ legerit *Minturnensium*. Neque enim difficulter ex *Minturnēsium* 1) literis *ium* (iū) ante *ni* omissis fieri potuit *Minturnis*.

22, 52. Madvigii coni. *Nunquam denique* (edd. edd. *n. enim*) tam certa mihi videtur, ut ab Or. in textum recipienda fuerit aut saltem Garatonianae *nunquam autem* (quam cum illa quasi composuit) longe anteponenda. *Tria* 2) enim enumerantur, quae se *nunquam* futura sperare ait Cic., quorum cum duo ita enunciasset: *Primum non est per., ne umquam* —. *Deinde nunquam* —, tertium ad extremum ita addere necesse erat: *Nunquam denique* —. Quod *denique* postpositum 3) erat et fortasse ita scriptum: *deniq.* aut, omisso q., *deni*, librarium aliquem

1) Pro Balbo 22, 50 in Arch. fuit *Heraclesim* pro *Heractēsem* o: *Heractensem*, ut Pal. Ambr. in orat. p. Archia ter scriptum habet.

2) Sequitur enim: *quae* cum omnia — *accidissent*.

3) Cf. in Catil. 2, 9, 19: *primum omnium* —; *deinde* —; *deos denique* —.

inducere potuit, ut scriberet *enim*. *Autem* vero cum minus verisimile est, quoniam vestigium eius particulae cum *enim* in Arch. confusae, quantum memini, nullum est, tum a loci sententia abhorret. Transeuntis enim ad aliud *autem* est, non ad extremum venientis, ut § 53: *Civis erat expulsus is — et expulsus — eo ipso crimine; erat autem expulsus sine iudicio cet.*; ubi quod in 3 Oxx. et edd. vet. *enim* p. *autem* legitur, inde, quoniam in ABC, abcd sqq. est *autem*, hoc solum colligi potest, in principe aliquo *tertia*e familiae cd., ex quo Erf., Pal. 9, Gembl., Peuting., Oxx. derivati sunt, notis quibusdam scriptas illas particulas fuisse, quae inter se confundi facile possent. 1)

24, 54. Ad confirmandam 2 meliorum Oxx. (C. T.) lectionem (*inter meum casum et suam praedam*) a Sch. et ab Or. receptam haec moneo. Dubitari vix potest, quin in Arch. fuerit mutilum illud et mendosum *inter meum et suum praedam*, ab ipso librario superscripta lineae litera *a* in *i. m. et suam p.* correctum. 2) Supplementum autem Ciceronis sententiae convenientius excogi-

1) De Erf. vid. Wunderi Var. lectt. XXXVI sqq., de Oxx. Madv. p. 433, de Peuting. in Vat. § 41.

2) Voc. *casum* deest in BC, ut in Lambini „edd. vet.“ (1566) et sine dubio in „v. c.“ *Et suam praedam* praeter illos 2 Oxx. enotatum est ex „v. c.“ atque legitur in ed. Lni (sine dubio ex edd. tum consultis), et, quod memorabile est, iam in b. In BC autem est *et suum a praeda*, in Acd. (unde quomodo in 4 Oxx. et edd. vet. ea lectio venerit, acute docet Mg. p. 434) *et eorum praedam*. Quae lectionum varietas explicatum nullum habere mihi videtur nisi hunc: quod Arch. ex librarii correctione habebat, *et suam praedam*, transiit in eum primae familiae codicem, ex quo originem traxit Ascensianus, in *tertia*e eum, unde Oxx. C. T. derivati sunt, in eumque sive, ut ego suspicor, primae sive, ut Mg. (p. 425) opinatur, *tertia*e, qui fons illius „v. c.“ et caput fuit; in BC autem (et fortasse in Lambinianis, qui modo cum A modo cum BC conspirant) servata prior Archetypi scriptura est, ita tamen, ut, illud *a* corrigendi causa superscriptum cum (ut non raro in cdd. factum est) in textu positum esset, *praedam* sive propter id ipsum *a* sive sequentibus literis IN in *praeda* corrumperetur; in eo denique primae fam. cd., unde A atque is, ex quo interpolati sunt Oxx. et edd. vet., orti sunt, mendosum illud *suum* in *eorum* correctum est, quod sine dubio ex vet. edd. in c., d., Gruteri (de cuius edd. siletur) et sqq. editiones pervenit, similiter ut illud cd. A. et 4 Oxx. supplementum *discrimen* ex vet. cdd. non solum in c., d., Gruteri sqq., sed etiam in b et Lambinianam, quae *suam* servarunt, propagatum est.

tari nullum facile posse, quam illud ipsum *casum*, iam ex iis, quae explicandi causa addita sequuntur, elucere mihi videtur, ubi Cic. calamitatem suam cum hostis alicuius nece et spoliatione comparat. Ut enim verbis *et* — *detrahenda* apte explicatur bellicum illud vocabulum *praedam*, ita necesse est prioribus *me perculso* — explicatum fuisse voc. aliquod a re bellica non abhorrens. Qui autem *perculsus est*, is *cecidit*. Neque vero ullo voc. de calamitate sua et exsilio saepius Cic. utitur, quam *casus*. Cf. § 29, 53, 60, 123, 140, de Provv. Cs. § 45, al. Ubi magis proprie de eadem re loquitur, § 53, *pernicies* dicitur; § 44 autem: *post interitum meum* et (in eadem illa acuta sententia enuncianda): *qui eandem horam meae pestis et suorum praemiorum esse voluissent*: ex quibus verbis iisque, quae nostro loco leguntur, ita quasi conflatum videtur, quod Or. p. Red. in S. (7, 17) de eadem re habet: *ut ne unam quidem horam interesse patcrere inter meam pestem et tuam praedam*, ut gravissimum quodque seligere-tur. Qui loci ipsi per se Orellianam lectionem verisimiliorem reddunt, quam illa Madvigii (quam tamen ipse dubiam vocat) emendatio est: *inter meum exitum et praedam*: in qua, etsi *Ciceronis praeda* p. p. de *Cicerone capta* recte dicitur, tamen pronomen *meum* respondente ex contrario *suam* aegre caret, cum praesertim ita *meum* (quod paullo contortius videtur) et subiective et obiective intelligendum sit. Deinde equidem non memini, ubi Cic. de *exsilio* suo vocabulo *exitus* usus sit, nisi in Parad. 4 § 29, ubi voce. similiter desinentibus quasi ludens dicit: „*reditum* mihi *gloriosum* iniuria tua dedit, non *exitum calamitosum*.“ *Discessum* illud iter dicere solet, ut § 60, de Provv. C. § 45, ubi, quod ante dixerat, *casum illum meum funus esse reip.*, mox ita enunciat: „*Mihi ipsi omnino perhonorificum* [adde: *st*] *discessum* meum funus dici reip.“, Parad. 4 § 30: „cum omnes meo *discessu* exsulasse remp. putent.“ Denique post *meum* excidere *casum* facilius potuisse videtur (ut supra § 44 in ABCd, edd. vett. 3: in Arch. *meum* post *interitum* omissum est) quam ex *exitum et fieri* sive *et suam* sive *et suum a*.

29, 63. *id utilius esse per se conservari quam per alios*. Ita edd., ita Or., nullo lacunae signo posito, nulla Manutii, Abramii, Guilelmii, Zumptii, Madvigii suspicionis, excidisse aliquem infini-

tivum, qui priori *conservari* opponeretur, facta mentione. Graevianam vulgatae lect. defensionem, ad quam nihil Or. addiderat, in absurdum redegit Mg. Quaeritur igitur, quid exciderit et ubi exciderit. Man. supplevit *amitti*, Abr. *diripi*, Guil. *dilapidari*; Zumptius vero (ad Verr. 2, § 47 *praefuerat Heraclii bonis verbo redigendis, re dissipandis*) plane egregie *dissipari*: quod verbum a Cic. ita saepe poni vel lexica docent. De verborum *conservari* et *diss.* inter se relatione non alienum erit praeter Verrin. l. c. etiam de l. Agr. 1, 1, 2 et Epp. ad Fam. 4, 13, 2 conferre. *Dissipari* autem etsi facilius inter *quam* et *per* omitti potuit, tamen numerorum causa ibi poni malo, ubi illi VV. DD. lacunam esse statuerunt, post *alios*.

30, 65. *ut neque privilegium irrogari liceret neque de capite — rogari*. Ita editores inde a Crat. praeter Lamb. In Arch. fuisse *neque — neve* consensus codicum (ABC, Oxx., edd. vet.) documento est. Id autem ex *neve — neve* (ut edidit L.) depravatam esse cum frequentissimus ille librariorum error, quo *que*, *neque* (*neq*) pro *ve*, *neve* (*neu*) scribitur (raro contra), probabile facit, tum ipsa sententia evincit. Ubi *ut non* ferri non potest, et *ne* (ut *ne*) necessarium est, ut post *sanciendi* verbum, ibi si secundaria sententia ex duabus inter se *contrariis*<sup>1)</sup> aut plane *diversis*<sup>2)</sup> partibus constat, eas per *neve — neve* copulari non modo rectum est, sed legitimum. Diversas autem hic duas XII tabularum leges intelligere non solum res ipsa cogit, sed etiam alii loci, ubi earum mentio fit, ut de Legg. 3 § 11 (ubi in legum formulis recte *ne* bis positum est) et § 44: *Tum leges — de XII tabulis translatae duae* cet. Quod Or. ipse in ed. I. et II. legendum proposuit, *ut ne — neve*, a codicum scriptura longius recedit, per se falsum non est. Etsi enim ille particularum usus ibi legitimus est, ubi nulla accedente *prohibendi* notione dicitur *ut non — neque*, o: ubi *eiusdem* fere sententiae membra co-

1) Ut de Or. 3, 43, 171; de Legg. 2 § 67. Etiam de Legg. 2 § 55, ubi nunc legitur: *Eas in eos dies conferre ius* (adde cum Lamb. *est*), *ut neque ipsius neque publicae feriae sint*, codicum vestigia eo ducunt, ut scribendum sit (ut voluit Goerentz.) *neve — neve* aut certe (ut edidit G.): *ne — neve*.

2) Ut in Epp. ad Fam. 1, 9 § 19: *peto —, ut id — neve in hoc reo neve in aliis requiras*.



pulantur 1), tamen non desunt loci 2), ubi *diversa* etiam per *non* — *neque* negentur, per *ne* — *neve* caveantur, ita tamen, ut posterius membrum priori quasi appendicis loco adnexum sit (non, ut in *neque* — *neque*, *neve* — *neve*, in aequo positum 3), quod quidem hic multo aptius est).

31, 68. *inveniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur*. Vera mihi videtur Orellii suspicio, qui, quoniam BC pro *confiteretur* habent *conquereretur*, legendum putat esse: *cum quaerretur, conf.* Verba *cum quaer.*, etsi ad sententiam non necessaria (cf. § 109), aptissima tamen esse docet similis locus, qui est p. Cluent. § 105. Neque ad aequalitatem membrorum et concinnitatem nihil faciunt; respondent enim bene superioribus *quocunque* — *subierat*. Neque raro *con* (cō sive cō) et *cum* (quō) confunduntur, ut § 64, ubi in *Acd* et *a* (cō: in duabus familiis) est *quo moveri* p. *commoveri*. E pro *ae* contraque saepe scribi notissimum est, ut p. Caelio § 20, ubi BC *cedisse* habent, A *caedis* cō: *caepisse*, *coepisse*, p. Sest. § 67, ubi in BC recte est *quererentur*, in A *querere*, in 4 Oxx. autem *quaerere*. Ita fere in *caepi* et *cepi* turbari solet.

32, 69. Ad eos locos, quibus Mg. in codicum (ABC, adde Lambini „veteres libros“) lectione (*qui, cum* — *privati, ut* — *dicerent, flagitabant, legem illi* — *dicebant*) a se vindicata, ab Orellio nunc recepta, illud oppositionis causa post *qui* abundanter positum *illi* defendit, ego adiicio Verr. 2 § 155, ubi *ii* post *qui* similiter abundat. 4)

1) Ut ad Qu. fr. 1, 1, § 4: *rogo, ne contrahas ac demittas animum neve te obrui* — *sinas*; ubi, ut in negativa sententia, verba diversae translationis, *contrahas* et *demittas*, melius in aliis edd. per *aut* diiunguntur, quam in Or. per *ac* coniunguntur. De Off. 1 § 91 ab Heus., Gernh., Beiero ex Nonio et Guelf. 3 recte editum est *neve adulari nos sinamus*, ubi plerique edd., ut Or., habent: *neque*.

2) Ut in Laelio § 78: *ut ne nimis cito diligere incipiant, neve* (2 edd. *neque*) *non dignos*.

3) Similiter non raro dicitur *Neque enim* (fere i. q. *Non enim*) — *neque*, ubi dici poterat: *Nam neque* — *neque*. Cf. Madv. Opp. p. 441.

4) Ille locus ita distinguendus est: *qui, quod* — *absoluti* (= *qui, cum* nullum in hominem antea publice testimonium dixerint — *absoluti*), *ii* (ita recte Kl. ex Vat. pro *hi*, quod vix ita ponitur ad subiectum post interiectam longiorem aliquam sententiam et quidem, ut h. l., contrariam cum vi quadam repetendum;

33, 71. Verba *ingredior iam in Sesti tribunatum* suspecta iam Schützio, gravissimis criminibus a Mady. convicta defendit etiam nunc Or. ad illa diluenda nihil afferens nisi haec: illis omissis in sqq. meram inesse repetitionem primorum huius cap. verborum; retentis contra elucere, cur hoc loco variaverit vv. *rei p. causa*: „in hoc itinere, quamvis trib. des. tantummodo esset, reapse iam tribunum se gessit“. Cui defensionis ego haec oppono. Verbis: *nam hoc primum iter des. rei p. causa suscepit* illa: *des. iter ad C. Caesarem pro mea salute suscepit* non simpliciter repetuntur: additur enim *primum* (quod quam vim illis omissis habeat, bene explicat Mg., Or. autem in vulg. lect. explicanda nihil curat); atque, ut ipse V. Cl. ait, variatur *rei p. causa*; quorum utrumque factum esse propterea quod ad confirmandum illud: *sedulitatem* — *videtis verba nam — suscepit* subiecta sint, rectissime putat Mg. Deinde vix quisquam Romanus ex verbis *ingredior — suscepit* talem, qualem iis Or. tribuit, sententiam elicere potuit, et, si potuisset, declamatoris alicuius de ludo esse, non oratoris de foro, nedum Ciceronis, crederet. Ceterum Or. si gravissimum illud Madvigii de mala orationis cohaerentia crimen eludere vellet, totam illud *ingredior — suscepit* parenthesis cancellis includere debuit: nunc, quoniam ita distinguit: — *videtis; ingredior — tribunatum*: — *nam — suscepit — pertinere* cet., ex eo *sedulitatem — hominis videre* iudices iubet, quod orator *ingredi se iam in Sesti trib.* dicit, et a *rei p. causa* divellit, quae ad illud

---

sed is vulgatam distinctionem: *absoluti; ii* retinuit, qua subiectum *qui*, cuius repetitio *ii* est, a praedicato suo distrahitur) *nunc veniunt — cum test. publicis. Qui, si te laudarent publice, tamen id more potius suo* (Kl. ex Vat. solo parum recte: *id potius more; suo* enim necessarium est, quod sequenti tuo respondeat, ut infra *de suo more — de tuis moribus*: si quidquam aliud illa lectio esset, quam unum de multis illius ed. mendis, conici poterat: *suo potius m.*; sed *more*, cui voc. opponitur *merito*, in vulg. lect. ab initio rectius positum est), *quam merito tuo facere viderentur, hi cum — conqueruntur, nonne — dicere?* Namque a verbis: *Qui, si te laud.* nova quaedam sententia incipit („Nonne, qui, si — publice, — viderentur, hi, cum — conqueruntur, hoc indicant cet.“), qua cum amplificatione explicantur superiora: *qui — publicis*, quibus ipsis sumtio illa „*Verri Siculos esse inimicos*“ satis plene ad absurdum redigitur. Orellii et Klozii distinctio (— *publicis: qui — viderentur. Hi* cet.), quae coniectenda sunt, divellit. Zumptii haec est: *publicis: qui — vid.*; *hi* —, melior quidem, sed tamen incerta, quam habeat sententiam.

ipsum explicandam (per asyndeton) addita sunt. Equidem ita lego et distinguo: *videtis; nam — suscepit: pertinere* cet.

33, 72. *ex deserto* † *Gavi Oleli horreo*. Ita in A. legitur, in B autem et Lambinianis *Gauio laetior ea*, in ed. S. Viet. *Gauī laetior ea*, id est: in Arch. fuit *gaviolaeliorea*, itaque cum corruptelae signo scribendum fuit, vel potius, quoniam *Gavii* nomen certum est (cf. Mg.), *ex d. Gavi* † *olaeliorea*. In ed. S. Viet. lect. *laeti* (1) latere *Caepi* 3: *Caepionis* suspicatus est Perizonius coll. Epp. ad Att. 5, 20, 4, ubi nominatur quidam *T. Gavius Caepio, locuples et splendidus homo* (cuius filius Sex. Lucilius fuit). Cuius aetas quidem et nomen cum eo, quem nostro loco posuit Cic., congruit neque cognomen a codicum scripturis longius distat; sed, quod id, quod in corrupto *orea* latet ad rusticam Atilii Gaviani originem spectans (*horreo* interpolationis convicit Mg., cui non displicebat *rure*, quae coni., quamvis dubitanter proposita, silentio praetermittenda Orellio non fuit), *desertum* dicitur, in *locupletem* et *splendidum* hominem non convenit. — Paulo post Or. scribere debuit *Atilios* p. *Atilios*. 2)

- 1) Potest fieri, ut litera *o* in Arch. superscripta fuerit, itaque in egregio illo ed. omissa, in ceteris vel cum *gauī* vel cum *laeti* coniuncta. Certe librario alicui tribuendum *gauio* esse videtur, qui nomen hominis praecedenti *deserto* accommodaverit. Ceterum, si in Arch. fuit, ut in ed. S. Viet., *laeti*, equidem mallem *Paeti*, si *Gauium* eius cognominis quemquam fuisse aliunde constaret. Etenim et apud Ascon. ad Cornel. I. p. 69 ed. Or. ex *Paeti* in ed. princ. factum est *leti* et ad Att. 4, 9, 2 cdd. habent *Laetum*, ubi ex Corradi coni. nunc editur *L. Pactum*, ego simpliciter malim *Paetum*, nullo posito praenomine tamen Attico tum notissimum.
- 2) *Atilius* scribendum esse censet (In Onom.) Or., quia sic semper in cdd. scribatur. Quod ita non esse hi loci docent, ubi litera *t* in *optimis* cdd. non geminatur: noster ipse locus, ubi in ABC (Lni, 2 Oxx) est *atillos*; § 71, ubi in BC, Var. Nauger. (et fortasse in A) recte est *Atilius*, § 127, ubi, ut ipse Or. edidit, ABC habent *Atilius*; de Rep. 1 § 1: Lael. § 6, ubi ex optimis Langlii, Vind. 2, Gud., plerisque dett. bis *Atilius* (etiam ab Or.) legitur (in paucis mendose est *Acilius*, ut de Legg. 2 § 59); Cat. M. § 75, ubi Reg. et plerique al. *Atilium* servant, ut § 61 *Atilio* (abi in Erf. *Acilio* est); p. Planicio § 69, ubi plerique cdd. *Atilio* habent, Erf. *Atillio*; Act. 1. in Verr. § 39, ubi Zumpt. sine var. edidit *Atilio*; p. Caec. § 67 bis *Atilius*; Epp. ad Att. 12, 5, 3; 5, 1, 1; ad Fam. 13, 62; N. D. 2 § 61; de Off. 3 § 109, ubi cdd. opt. (certe Gu. 2 et 3) habent *Atilius*; Tusc. D. 5 § 14; Ascon. ad Cornel. p. 69 (ed. Or.); Tac. A., 2, 49. In numis quoque scribi *Atilius* ipse Or. testatur. Denique ex Martiale laudatur *atilius*.

35, 74. *venit tandem concili de me agendi dies.* Si ita Cic. dixisset (est in BOb atque in edd. vett., nisi quod eae *consilii* habent, inde propagatum in *cd* et Gruteri ed., de cuius edd. silentium est), nemo Romanus illa verborum collocatione non potuit *consilii* — *agendi* ita intelligere, ut si dictum esset *consilium agendi*, nisi illa aetate inaudita prorsus esset locutio *consilium* (plebis) *agere*. Reliquum erat<sup>1)</sup>, ut *concilii* a verbis *dies de me agendi* in unam notionem quasi conflatis pendere intelligeretur (quo modo explicandi sunt omnes illi eiusdem generis loci a Kritzio ad Sall. Cat. p. 145 collecti recteque explicati), ut esset nostrum *Forssamlings Daa til at forhandle min Saa*; sed id falsum erat; neque enim *concilii* erat, sed *tribunorum pl.* (in concilio) de Cic. *agere*. Videamus nunc Orellii explicationem et defensionem. „Duplex est constructio: *dies concili* et *dies de me agendi*; non vero *dies concili de me agendi*.“ Hic iterum vellem V. Cl. exemplum duorum sive diversi sive eiusdem generis Genitivorum ab uno substantivo ita pendentium vel unum attulisset. Mihi quidem persuasum est, ubicunque duo Genn. cum uno aliquo subst. iuncti sunt, alterum ex ipso subst. aptum esse, alterum autem ex una illa, quae ita efficitur, notione. Quae si ita sunt, necessario scribendum est, ut vult Mg., TANDEM IN CONCILIO. Namque in A, optimo optimae familiae ed., cui soli non pauca in his oratt. debentur, ita legitur, nisi quod (post *m*) *in* deest; quae lectio sine dubio etiam in Lambini (qui *in comitio* edidit) edd. fuit. Potuit, si oppositio *senatus* et *plebis* nulla esset, a Cic. *in concilio* omitti (cf. § 126, 129; p. Red. ad Quir. § 14); sed, quoniam h. l. transitus fit ab iis, quae *in senatu* acta erant („*actum* nihil nisi *de me* (*in senatu*)). Cum — *senatus* auctoritas impediretur“, ad *plebis consilium*, nihil ad illum transitum significandum aptius addi potuit. Cf., ad Quir. 6, 13 quae de eadem re dicuntur: „Postea res acta est *in senatu* nulla alia, et cum variis rationibus [nota, quam quasi epitomatorie hoc *var. rat.* dictum sit] impediretur, — causa *ad vos* mense Jan. deferabatur.“

36, 78. *qui servasset de caelo.* Sic ex Mgii con. nunc Or. Neque vero ego hoc nego, recte ita dici potuisse (etsi calumniari

<sup>1)</sup> Ne illud quidem, quod Matthiaeus intelligi vult, *de me agendi* pendere ab una notione *consilii dies* (*Forssamlingsdagen*), vix quisquam illa collocatione intelligere potuit. Cf. loci a Kritzio eitt.

quis poterat, ita iungi posse *de caelo accep.*) aut facile ex ea scriptura codicum fieri lectionem. 1) Illud Mgio concedere non possum, re ipsa multo maiorem esse mutationem (per se Mgio non improbatam), si quis (addito *se*) cum Manutio correxerit *diceret.* 2) Addere *se* sive (cum Gruteri edd.?) ante *servasse* (cf. p. Domo § 40) sive cum Lamb. post *servasse*, ea quidem lenissima mutatio est, et tamen non necessaria. Neque, si ex *dicret* factum *dixerat* est, magis mirum, quam quod p. Deiot. § 22 in Erf. mendose legitur *vinxerit* p. *vinciret*, in Pison. § 46 in dett. edd. *venerat* p. *veniret*, in Verr. 2 § 38 in edd. per se optimis, sed ab eiusmodi mendis (quod nemo miretur) minime liberis (Met., Lag. 42) *convenerant* p. *convenirent*, p. Cluent. 17, 49 in melioribus edd. *veniret* p. *venerit.* 3) Ego igitur malim: *qui [se] servasse de c. dicret.*

- 1) Ut ABCbed, ita v. c. habet: *qui servasse de caelo dixerat*, omisso pron. *se*, quod ex edd. Grut. (S. Vict.), si modo Grutero fides habenda est, vulgo post *qui* legebatur. Lamb. quidem edidit, sine dubio ex con: *qui servasse de c. d.*
- 2) Orellium iam poenitere opinor Manutianam illam lect. (*qui s. d. c. diceret*) prorsus falsam propter ipsum tempus [verbi *servasse* an v. *diceret*?] ac propter constructionem [p. omissum *se* an p. coniunctivum *diceret*?] in ed. alt. dixisse. Si *servasset* rectum est, ut est (cf. de coniunctivo Verr. 2 § 176 *quantum invenissem*, de Off. 3 § 75 *qui — esset heres*, Liv. 34, 9 *qui — cerneret*, aliaque permulta), ne *servasse* (*se*) *diceret* quidem falsum est, si sententia, ut demonstravit Mg., haec est: *Si quis obnuntiasset, dicens se d. c. servasse*. Quin etiam de vera re (non, ut h. l., de *facta cogitataque*) coniunctivum falsum non futurum fuisse (*obnuntiavit quidam, qui — diceret*) satis superque docent loci quales hi sunt: ad Att. 1, 1, 3: *agere coepit — de iis rebus, quas eum — accepisse de Vario diceret* (3: *quas, ut dicebat, is — acceperat*, sive: *quas is — accepisset*); de Or. 2, 70, 284: *cum — premerebatur — ab iis, qui — dicerent*. Cf. Beier. ad Lael. p. 59 et Zumpt. Gr. L. § 551, A. Grotefend. II § 563. Omissio autem pronominis *se*, etsi fortasse, ut saepe, librarii alicuius culpa facta est, hoc quidem loco, ubi *se* non, ut p. Domo l. c., maiorem ullam vim habet, damnanda non fuit.
- 3) Auctoritate bonorum codicum, nisi diversae originis sunt, eiusmodi in rebus non magna nimis fretus Klotzius illa menda *vinxerit, convenerant, veniret* in textum recepit. P. Deiot. indicativo dici potuit: *vinxit — misit*, aut: *vinciebat — mittebat (misit): vinxit — mittebat* non potuit. Coniunctivo (sive causali sive adversativo) aut ita dicendum fuit: *vinciret — misit*, aut, ut in ceteris, quantum constat, edd. legitur: *vinciret — mittebat* (cf. Phil. 5, 1, 1): *vinxerit — mittebat* nullum habet explicatum. — In Verr. quod directa oratione ita dicere oportuit: „Postulamus, ut in hanc rem iudices dentur ex iis civitatibus, quae in hoc forum *conveniunt* (3: *convenire solent*), electi, qui Verri

*Ibidem. forum purges?* Corruptum sane hoc putandum erat, si vera esset Orellii interpretatio, idem hic significari, quod supra (§ 77) iam dictum esset, *e foro spongiis effingi sanguinem*. At, qui proxime ante dicitur „gladiatores in forum immittere, magistratus templo delicere, caedem maximam facere“ et mox „omnia vi et armis egisse“, is, quod forum ipse cruentet caedibusque funestet, ex eodem eodem tempore sanguinem abstergere non video qui dici possit. Rectissime vero Abramius et Matth. verba non ita obscura explicarunt: „forum expulso populo vacues?“ Qui enim Tulliani caesi a Clodianis non sunt, salutem fuga consuluerunt (cf. § 76): quod ipsum Clodius turbis illis assequi voluit, ut forum a Tullianis purum fieret. *Purgare* ita dictum in comico poeta fortasse locum habere, in Tullio non item, cum scripsit Or., V. Cl. non meminerat (ut omittam Phaedri versum, 1, 2, 23), quid ab ipso Cic. in Catil. 1, 5, 10 dictum esset. Neque video, quae tanta illa audacia sit, ut *urbs, forum hominibus*, si qui cui obstant, *purgari* dicatur, quum *loci* non solum *sordibus*, sed etiam aliis rebus, si quae impedimento sint, ut *vepribus, purgari* dicantur. Cf. Tusc. D. 5, 23, 65.

---

videantur“, id indirecte in narrando recte ita dicitur, ut edidit Or.: *Adversarii postulant, ut in eam rem i. dentur ex iis* (ita recte Lamb., Or.; ceteri perverse *his*: non demonstrantur civitates, sed per meram quandam periphrasin, quae sint intelligendae, explicantur) *civ., q. i. id f. convenirent* (o: c. solerent), *electi, q. V. viderentur* (o: ut i. dentur ex iis civ. — ii electi, si qui V. v.). Ita interpungendum esse Mg. firmissimis rationibus demonstravit (Opp. p. 351) itaque interpunctum ego in ed. Gothofred. video. Vulgo, etiam a Klotzio, ita distinguitur: *convenirent. Electi, q. V. v.*, quae ratio quam non modo a scriptoris sententia, sed etiam a grammatica constructione abhorreat, si quis sua sponte non videat, apud Mg. videre potest. *Convenerant* autem neque tam ad sententiam aptum est et, nisi fallor, dicendum fuit: *tum convenissent*; in verbis enim *quae — conv.* inest ipsorum adversariorum (non Cicronis) quaedam civitatum definitio. Qua re prudenter fecit Garaton., quod Graevii prudentiam laudavit, qui unius ed. causa ceteros omnes non deseruisset. Quod ad ed. Met. nunc accessit Lag. 42, non mirum: gemelli enim sunt, ut in virtutibus, ita in vitiis fere conspirantes. — Pro *Cluent.*, ut in sententia iuxta posita eodemque modo conformata perfectum est *potuerit, ita venerit* necessarium esse apparet, si utraque sententia sic transformatur: „*Oppianicus honeste absolvi nullo modo potuit: iis* (o: eiusmodi; Klotz. iterum cum melioribus aliisque edd. peccat: *his*) *criminibus accusatus erat: ille condemnatus in iudicium venit* (non: *veniebat*): *ita* (re semel atque iterum praecidicata) *reus citatus erat.*“

37, 79. Ut supra (§ 78) ex certissima Wunderi, Mülleri, Madvigii suspitione delendum fuit alterum illud *remp.* (uncis tantum inclusit Or.) — cf. § 86 —, ita hic digna Mgii coniectura (legendum esse: *foro, dum magistratum*<sup>1)</sup>) fuisse videtur, quae in textum reciperetur. Certe ita scribendum fuit: *foro † tum mag.*

42, 91. *nominatae sunt, tum.* Vellem Or. lacunae signum inter. *sunt* et *tum* posuisset. Mg. enim cum ex edd. vestigiis (Oxx., edd. vett. *nominaverunt*) tum ex ipsa sententia et ipse vidit et mihi quidem probavit post *sunt* excidisse verbum aliquod eiusdem formae, cuius est *saepserunt*, ut *instituerunt*.

45, 97. † *Est igitur, ut* —. Probabilis Orellio videtur Mgii coniectura: *Sequitur, ut* —, mihi quidem verissima. Scilicet in Arch. sine dubio fuit, ut in integerrimo ed. A, *e igitur*, unde Lambiniani alii primae fam. *ei igitur* fecerunt, alii secundae, ut in B esse traditur<sup>2)</sup>, *est igitur*.

50, 106. *si operas conductorum removeris.* Madvigii et Mülleri iudicium deleri *cond.* iubentium multo Orellii antepono coniecturae, legendum esse *conciatorum*. Loco a V. Cl. coll., § 110, recte dicitur *concionum conciator*, ut alibi *c. belli, turbae, tumultus, seditionis, tabernariorum* (p. Domo § 13, cuiusmodi loco etiam *operarum c.* dici poterat, cf. p. Sest. § 38). Absolute dictum, ut sit ein Pöbelaufreger (ut hodie in Britannia notissimus ille Hiberniae conciator, opinor, „the agitator“ nude appellatur) *conciator* nusquam<sup>3)</sup> invenio. *Operas turbulentorum hominum* dici potuit. Cf. § 104.

50, 107. *Erant, erant* —. Alterum *erant* Mgio iure suspicissimum uncis saltem dignum fuit. Foedissima autem illa paullo post facta interpolatio, quam a Mgio damnatam Or. uncis inclusit, prorsus fuit delenda.

1) Vulgo nulla cum auctoritate: *foro mag.* Prima et optima familia habet *f. tum m.*, sec. et tertia *f. tuo m.* Scilicet in Arch. fuit *f. tū mag.*

2) Sine dubio et in Lnianis et in B est *e* *o*; *est*. Certe in eius fam. ed. principe ita fuerit necesse est. Similiter § 102, ubi A servavit antiquam scripturam *insestias*, B habet *i. st. o*; ut est in C et nonnullis Lamb., *i. sunt*. Cf. Mg. ad h. l.

3) Apud Senecam de Ira 3, 2 ex *multitudo concitata* in *ipsum conciatorem* facile intelligitur *suum*.

*Ibidem.* supplicem populo Romano praebuit. Hac Mgii coni. ab Or. recepta nihil felicius fieri potest. Vide tamen, ne praebuit (quod ABC omittunt, edd. ex interpol. habent exhibuit) ante populo Rom. (P. R.) potius exciderit, quam post ea verba. Cui suspicioni non modo obstat nihil verborum constructio, sed etiam aliquid suffragatur. Sententia enim haec est: qui se pop. R. praebuit non solum auctorem — supplicem, non illa: q. sc praebuit — supplicem pop. R. Cf. de Or. 1 § 198, in Pison. § 49, p. Rosc. Am. 4, 11, Anton. ad Cic. in Epp. ad Att. 14, 13, A, 2, ibid. § 6, p. Planc. § 91.

51, 110. Nihil † sane Attae iuvabant anagnostae; libelli pro vino etiam saepe oppignerabantur. In Mgii coni. ab Or. in Lectt. Mem. posita errore ita distinctum est: N. s. Attici iuv. anag.; libelli —. Ipsi Mgio ita legendum videbatur: N. s. Attici i. a., libelli; pro vino e. s. o. Cuius lectionis sententia haec aptissima existit: „Tantum aberat, ut comparatis A. anagnostis et libellis in studio literarum sapientiaque Gellius quidquam proficeret, ut (cum deficientibus copiis tamen insaturabile abdomen maneret) utrosque pro vino oppigneraret.“ In Matthiaei distinctione, quam Or. nunc sequitur, inest haec parum commoda sententia: „libelli non modo pro aliis rebus [quibus? an pro cibo?], sed etiam pro vino opp.“

52, 112. contra me † cum sit actum. Ego ita scriptum mallem: c. m. cumst † actum. Mg. enim non dubitabat, quin Cic. scripsisset: cumst: 1) quod Or. non improbare videtur. Ad argu-

---

\*) Antiqua scriptura *st* (p. *est*) per has orationes in A saepe servata infinitum est dicere quoties aut in *sit* (*sunt*) depravatum sit aut totum omisum. Ita § 102, ubi in Arch. *st* fuit, nonnulli Lamb. edd. habebant, quod in edd. ante Or. legebatur, *sit* (in c. sola *est*). Ut ibi p. *st* in B est *st* cum lineola o:; ut in C, aliis, *sunt*, ita de l. Agr. 2, 35, 95, ubi vulgo legitur: *Ex hac copia — primum illa nata sunt: arrogantia, quae — postulavit: deinde ea luxuries, quae — vicit*, scribendum est: *illa natat arrog.* Codices eius orationis ex uno nec satis puro fonte derivati pro *st* omnes habere *sunt* (unde in uno Turnebi facili errore factum est *fuit*) minime mirum est: illud miror, qui tot viri docti concoquere illud *sunt* potuerint. Quasi vero *arrogantia* non una res sit, sed *plures*, aut quidquam aliud sequatur, quod verbis *primum illa* respondeat, quam haec: *deinde ea luxuries*. Vitium orationis senserunt Scheller., ex cuius coni. violentius transpositum *primum* post *sunt* a Weiskio est (vel ita pronomen suum (*ea*) desiderabat *arrog.*), et Schlüt-



zium, qui *causidit fuit*. At *nata fuit pro nata est* vix Tullianum est. Pro Plancio § 50 Klotz. ex Erf. recte edidit *repudiata est p. r. fuit*: quo magis mirandum est eundem de l. Agr. 2 § 92 retinuisse vulgatam lect.: *deducta fuit*, quod in *deductast* mutandum esse ipsa Erf. scriptura d. *sit* docere potuit. Quod idem § 95 in textum revocavit plurimorum, ut videtur, ead. lect. (o: unius antiqui mendum) *apta* (Erf. *capta*), vix multis probabitur. *Ex aliqua re aptum esse* semper est *ex a. r. suspensum esse, pendere*, ut de Fin. 1, 21, 58, ubi ex ed. Erl. legendum est; *ex ea* (o: *ratione*) *quae sint apta, ea*—(vulgo sine sensu: *ex eis, quae* cet.). *Gignendi* autem notionem h. l. requiri id ipsum ostendit, quod his verbis explicatur: *Non ingenerantur — mores tam a stirpe generis —, quam ex iis rebus, quae — vivimus*. Cf., quod de eadem re in orat. I de l. Agr. § 20 dictum est: *si luxuries — si superbia: nata inibi esse haec ex Campanorum fastidio videtur*, et § 19: *Qui locus propter — abundantiamque rerum omnium superbiam — genuisse dicitur*. In Vatin. (cuius orat. Orellii ed. minor nondum ad me pervenit iam dudum a bibliopola flagitata) § 33 ita legendum mihi videtur: *fecerisne, quod in hac rep. non modo factum antea* (ita v. c., B., Erf., 2 Oxx., Steph. Lamb.; de A. siletur: vulgo *ante*, sed aptius *antea* o: ante illud tuum iudicium) *nunquam est, sed* (*sed* in A. omissum in tertiae fam. edd. servatum est) *in omni memoria* (sine var. legitur *m. sit*, nisi quod Lamb. in m. 1584 recte voluit *m. est*) *omnino inauditum? appellarisne* cet. Solocum esse *est — sit* vidit Ern., qui non bene edidit: *esset — sit*, et Garaton., qui *est* deleri voluit, probavit Mg., qui legit *nunquam, set i. o. m. sit o. i.*, cum in relativa illa sententia pertinenti ad subiectum *indefinitum* et *tantum cogitatum* indicativum poni potuisse negaret (quaerere enim Ciceronem, feceritne id, de quo illud *disci possit*). At mihi quidem nihil videtur impedire, quo minus simpliciter ita intelligatur: *f. id, quod* — (non: *aliquid eiusmodi, quod*): in qua sententia non modo recte ponitur *ind.*, sed necessarius est. Cf. § 32: *ut, nisi* (vulgo: *ut tu, nisi*; sed A, B, Lamb. omittunt *tu* probante Mg.) *id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses* (= *ut violares*, ut altero loco dici potuit, *ut appellares*), § 20 (*decreverunt*), § 22 (*est servatum*). *Est* autem bis positum nihil habet offensionis (cf. p. Sestio § 3, § 65, ubi ex omn. edd., edd. vett. legendum est: *nulla vox est audita consulum constitutumque est illo anno*; Or. nulla codicum auctoritate, nulla necessitate cogente: *c. illa anno est*), cum praesertim *factum* participium sit, adiectivum autem *inauditum*. Pro Ligar. § 13, si sententia haec est, ut est (vid. sqq. *Si enim —*): *ea poena, in qua adhuc L. est, non videmini esse contenti*, legendum est: *in qua a. L. est* (*Ligariusti*); vulgo: *L. sit*, quem coniunct. co, quod verba *in qua* — sententiae *effectivae* (*ut — videamini*) interiecta sunt, non excusari notum est. Contrarii mendi, quo *ex sit* saepissime factum est *est* (*st*), interdum *set*, exempla haec pono. Pro Cluent. § 152, si Or. cum Lamb. edidisset: *si constitutum sit* (Or. *si sit c.*) — *iudicarent — possint*, nihil restaret, quod corrigendum esset. Codd. omnes duo apertissima menda habent, a novissimis edd., Classen. et Kl., religiose revocata: *constitutum est — iudicarent*. Usus perfecti pro futuro exacto post fut. in *secundaria* sent. positi nullis exemplis comprobari

poterit: alius generis est illud Ciceronis: *Brutus si conservatus erit, vicinus*; an id ita dici potuit: *B. si c. est, vicerimus (vicinus)?* Quod Class. de *confidentissima* illorum hominum esse loquitur, nihil ad rem pertinet: confidebant enim, si ille metus propositus esset, *tum demum* equites R. in potestatem suam se redacturos; illud non *confidebant*, fore, ut constitueretur cet., sed *agebant*. Cf. quae praecedunt: *Nec — agitur —* et sqq.: *hoc — confidunt. Quis — audeat — cum videat* (non: *audebit — videbit*). *Ne c. erit* quidem aptum fuisset. Quod ad *iudicarent* attinet, Classenii causa haec moneo. Id tempus tum demum recte positum esset, si, cum praecederet *putabant, putarunt, putaverant*, sequereturque *possent*, tum de iudiciis, *dum iudicarent*, iudicium fieri diceretur, quod dici potuisse recte negavit Or. Cf., quod Cl. ipse pro se conferri iubet, § 153: *cum ille nihil — ageret — nisi uti, qui rem iudicassent* (non: *iudicarent*) — *vocarentur*, ubi ordo iudicium in universum pariter atque nostro loco indicatur. Alter ab eodem coll. locus (p. Murena § 21: *Gravis etiam illa est — dicendi facultas —, posse — eorum, qui res indicant, mentes permovere*) ad nostram rem nihil attinet: qui enim cum maxime *iudicant*, ii ab oratore permovendi sunt, non qui ante *iudicarunt*. Ergo ne *iudicent* quidem, ut post praesens tempus (*putant*) de futuris iudiciis dicendum fuit, recte se haberet. Si codicibus in eiusmodi rebus parendum esset, corrigendi non erant cum multi loci, tum hi: in Vat. § 17 (*duxerint — putaret*), p. Mur. § 5 (*tulerim — abrogarem*), quorum altero legendum esse *putarit* (cfr. § 11), altero *abrogarim*, pro Ligar. autem § 26 contrario modo sollocum esse, quod Steinmetz. et Klotz. ediderunt: *probarim — commemorarem*, ad Vat. inam l. c. probare conaterus sum, quamquam iis probatum iri despero, qui p. Cacc. § 74 huiusmodi periodum ferre poterunt: *Quid — refert — fundam — habere bene partum, si incertum sit, + quae cum omnia tua iure mancipi sint, ea possisne relinere? si parum sit communitum ius? si civili — lege teneri non potest?* ubi legendum esse: — *incertum sit, quae omnia tua iure* (sic ego; *cum (quom)* vix aliud est quam vocabuli *quae* sive varia lectio sive glossema; certe lenior haec mutatio est quam Lambini: *quaecunque t. i*; Klotzii autem remedium ita distinguentis: *quae, cum omnia tua, i.* et inauditam apud Cic. ellipsin habet et languidissimam sententiam) *mancipi sunt — parum sit —, cum potest docere potuit, tum sequens eiusdem sententiae repetitio: Quid, inquam, prodest fundum habere, si, quae* (Erf. peccat *quia*, ut idem de Prov. Css. § 35, ubi recte Lamb. probante Madv., ut in Par. est, edidit *Qui si —*, plerique p. Sest. § 13, ubi nunc, frustra repugnante Klotzio in N. J. 11, 319, auctore Mgio ex A. legitur *qui ipse*, dott. edd. in Verr. 2 § 48) — *iura — sunt, haec perturbari — possunt?* Minus miror VV. DD. non ausos esse in A. I. in Verr. § 39 „*alios*“ in marg. Lni et Schütziū imitari legendo: *factum sit — inventi sint — inventus sit*. Scilicet codicum (at quam non bonorum! quam in facili errore!) auctoritatem secuti edunt: — *est — sunt — est* (est h. l. peccatum etiam in Pseudo — Asconii, lemmate est), in defendendis tribus indicativis post coniunct. *aestimata sit* ex eadem sententia (*quid sit*) suspensum tresque alios coniunctivos in eadem orationis structura praecedentes ita positos ad

anacolutiæ praesidium confugientes. At eius figurae nullum signum est, nulla causa. Omnia membra eodem modo procedunt: omnia fere paria atque aequalia sunt. „Transit orator ad indic. modum, inquit Zumpt. —, quasi non praecesserit *Cognosces, quid sit, sed Quid est.*“ Ergone N. Tullium credit, si ter dixisset *Quid est*, eundem tribus indicativis (*constituta est — dixit — aest. est*) usurum fuisse? Ego non credo, qui soloccum putem dicere: *quid est, quamobrem* —, aut (quod idem h. quidem l. est) — *quod hoc factum est?* Alius generis est p. Nulla § 51: *quid est, quod indicat* (o: q. e. id, q. i. sive, ut § 51 dicitur: *quid indicat*) quaeque cum eo loco a Matth. comparantur, Verr. 4 § 43 (ubi *quid erat est quid illud sibi volebat s. significabat.*), p. Cluent. § 181 (ubi *quod non est quamobrem*, sed obiectum verbi proferre). De Orat. 3 § 159 recte post Stephanum legitur: *quid sit, quod — delectentur*, ubi ante edebatur *delectantur*, eodem vitio, quo nunc Stürenb. et Klotz. p. Arch. § 10 ex solo Erf. legunt: *quid est, quod — dubitatis* (p. *dubitatis*), atque ante Klotz. de l. Agr. 2 § 76 legebatur: *si quis est, quem — delectat*, ubi Weiske ex con. , Kl. ex Erf. *delectet*; quem quidem pro illæ sua in cdd. reverentia non miror ibidem et Lamb. lectionem: *si quis — delectatur* (vulgo *delectetur*) — *si quem — commovet* et Orellii con. s. q. rei p. *dignitas comm.* (vulgo *rei dign.*; p. excidit ante d. facillime; cf. § 100, ubi item in Erf. deest p., atque ad sententiam praeter praecedens illud *dignitatem* (*vestram*), cui haec respondent, 1 § 17, 18; 2 § 79) sprevisse. — Voc. *sit* in *set* depravato cum alii, tum hi tres loci foedissime corrupti sunt: de l. Agr. 3, 2, 8, ubi Or. et Klotz. ex cdd. et cdd. vet. ita legunt: *Tu — quid quaeris? quod habent, ut habeant? Quis vetat? Ut privatum? Sed* (Or. ita distinguit: *vetat? — Ut privatum. — Sed: quasi vero ut privatum sit* ficta Rulli responsio: qua ratione praeter Ciceronis consuetudinem duo ad unam interrogationem respondentur, unum ab ipso Cic. (*quis vetat?*), alterum a Rullo) *ita latum est, ut melior tui soceri fundus Hirpinus sit —, quam meus paternus — fundus Arpinas.* In verbis *sed ita cet.*, quibus refellitur sive: *Ut privatum?* sive: — *Ut privatum.* —, soloccum esse *sed* (rectum esset tale quid: *Non illud quaeris, ut privatum sit, sed ita latum cet.*) vidit Lauredan., cuius audaciorum neque tamen aptam con. At *ita* — Lamb. sqq. receperunt. Lege facillima mutatione: *Ut privatum sit? Ita cet.* Bis interrogat Cic.: *quod habent, ut habeant* (o: retineant)? — *ut privatum sit?* (o: ut eo iure sit, quo quae privata sunt): bis sibi ipse respondet, ut solet, nulla adhibita coniunctione: *Quis vetat?* (o: Retinent.) — *Ita l. e., ut melior — sit — o:* imo quaeris, ut meliore iure sit, quam quo quae p. sunt. „Id enim caves“, cum caves (§ 7): *Ea omnia eo iure sint, ut quae optimo iure privata sunt* (ita ex con. Turnebi legendum est; vulgo solocce *sint*). Simillimus locus est p. Flaeco § 83 *Nam quid emebat — videatur*, quem melius interpungendo sanavit Madv. in Ep. Crit. (p. 94), ubi idem duo similes locos, p. Scauro § 19 (vide, ne ibi legendum sit: *voluisset sc. non dare*, quod melius opponeretur praecedenti *potuisse*, quam *noluisset sc. dare*, sicut p. Cluent. § 189 ego cum L. et Klotzio praefero *quod ni* (vulgo *nisi*) *esset*, sc. „ut nihil esset cogitatum“, meliorum cdd. et Classenii lectioni: q. *si esset* o: *si quid-*

quam esset — cog.) et p. Flacco § 78 (ubi verba *sed in latentem* ex Schol. recipienda iure putabat Klotz in Emendd. Tull., sed vulgatam distinctionem et lectionem: *Decrevit. Cum — nolies, non — latentem reum* male servabat, repugnante partim ipso Scholiasta, cuius in codice si ita esset, ut ex Peuting. legitur, *absentem* [sed — latentem] *reum*, vix in voc. *latentem* finem lemmatis fecisset) partim recte interpungendo partim leniter corrigendo emendavit. — Alter trium, quos dixi, locorum est de l. Agr. 2 § 62, ubi Kl. servavit codd. lectionem: *Parta sit pecunia — tanta, quanta sit in terris, nihil praetermissum: sed omnes* cet. Primum ex Garat. conl. legendum fuit: *quantast: sit* nullam rationem habet; pecunia enim in terris re vera *est*, non *potest* tantum esse. Cf. ad Att. 1, 19, 1: *quantum est tibi*. Similiter re- futari potest illud *quae — sint* (3 § 7) et quod vulgo legitur 2 § 65: *Hic — illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem*, ubi ego legendum esse contendo: *expeditissimumst*. An Cic. umquam dicit: *Longum (difficile sim.) sit hoc disputare*, ac non semper: *L. est — ?* Deinde ex Laured. conl. (et edd. aliq.) Lamb. et recentiores recte legebant: *praet. sit: omnes*; nam, ut cetera membra parallela suum quodque verbum habent, ita ne hoc quidem suo carere potest, praesertim interiectis verbis: *quanta — in terris*, neque gravitas oppositionis (*nih. pr. et omnes — venerint*) coniunctionem *sed* admittit. Ne quis autem miretur Klotzium h. l. codicibus servisse, videat, quo soloecismo idem V. D. infra § 63 ex librariorum sive potius unius antiqui librarii officina Tullium donaverit: *Velim* (Ern. sqq. correxerunt necessario: *Vellem*, ut § 85 *malitis*, nunc ex Erf. a Kl. restitutum; an etiam in Epp. ad Att. 4, 4, b, 1 ex Md. aliisque edd. revocandum est: *vellem — mittas*, aut 3, 24, 1 ex omn. edd. *si — velint — ; sin vellent.*, aut 1, 19, 1 ex omn. edd. *si — velim — , superarem*, aut in Epp. ad Qu. fr. 1, 2, 3 ex Med. *velint*, aut 2, 2, 1 ex eodem: *rogavit, num — velim*, aut p. Mil. § 79 ex Erf. *nolletis*, aut de Divin. 2 § 122 ferendum illud codicum *si — velim, — gubernarem, ut somniaverim; — sit*, ubi ego emendavi *gubernem?*) *feri posset, ut — nominarentur — : iam videretis, quibus — permisseritis*. Sic Kl. ex Erf. perverse; recte ante legebatur: *permitteretis*. De re enim, quae *feri posset*, idem ita dicendum fuit: *Volo (velim) — possit — nominentur — videbitis (videatis) — permitatis* (o: iam permissuri sitis; cf. § 65: *Committite nunc vos*—). Nunc de eo, quod tantummodo  *fingitur* fieri posse, ut *vellem*, ita *permitteretis* necessarium est: ne *permisissetis* quidem rectum esset, ut de re *nondum* permessa. Contrario temporum usus vitio laborat etiam nunc eiusdem orationis § 25: *vident, si — acceperitis, fore, uti postea — , cum Xviros crearetis, tum — putetis*. In ed. Junt. aliisque non minus perverse legitur: *crearitis*; Camerar. melius ille quidem edidit *creatis*, sed in modo peccans. Lege: *creetis*. Cf. p. Cluent. § 155, ubi meliorum edd. auctoritas impedimento fuit, quo minus mendum eiusdem generis, cuius h. l. *crearetis* est, et p. Cluent. § 152 *iudicarent* esse supra dixi, *arbitraretur* Cicroni assignaretur. Revertor ad *set p. sit* positum, quo vitio corruptum est illud etiam ad Att. 4, 5, 2: *Finis. Sed quoniam* cet.; ubi omnia recte procedunt, si superiora ita distinguas: *Sed quid*

56, 120. *egit apud populum. R. — meam causam.* Ita Or. ex c a: ex Hervagii coni. In Arch. fuit a P. R., ut est in ABC (nisi quod in B est ā, ut § 102 idem ex *st fecit st cum lineola*). Inde edd. vet. *aperte*, quod in bd sqq. transiit. Ad haec codicum vestigia propius accedit Mgii coni. *ad pop. R.* In Arch. ante simillimam literam p exciderat d, ut alibi q. (*que*), verbi causa in Cat. M. § 1, ubi Erf. *noctes diesque* habet p. *noctesque d.* Confusarum literarum d, p, b, q. exempla attuli ad Caelianam § 78. Ita in hac orat. § 66 omnes edd. *doluit p. potuit*; p. Cacc § 47 Erf. *ridiculo p. periculo*, ad Att. 1, 1, 2 edd. *acciderint. p. acceperint*, 1, 8, 1 Med. *decepisses p. [decidisse]*, Schol. Bob. p. 338 *de p. P.* Quare non dubito, quin errore factum sit, ut in Mureniana § 41) cod. Arch. habuerit *praecipere p. praedicere*, ut legitur apud Quintil. 5, 11, 23; aptissime enim dicitur *praedicere tempestatum, praedonum, locorum rationem* a: quo modo comparatae sint tempestates cet.: num *praecipere — rationem* significare possit *tradere artem (modum) tempestates cet. evitandi*,

---

*ad hoc (sc. invidiae addi potest), si (Or. hoc? Si, ed. Med. mendose hoc sed), quibus — dixisse?*, deinde cum Graevio ita legas: *Finis sit: quoniam cet. a: „Quoniam maior invidia nulla fieri potest, desinam illas partes sequi“*, quae sententia deinceps, ut fieri solet, sine ulla coniunctione (L. voluit: *finis esto, et, quoniam*) explicatur sqq. verbis: *quoniam cet. De finis sit cf. p. Milon. § 105.*

- 1) Ibidem ex Quintil. rectissime ab Herv., Lamb., Grutero (ex ed. S. Vict.?) editum est: *Quod si e portu solventibus.* Facillime in illo Arch. post I exciderat E. Neque facile quisquam antiquior prosae orationis scriptor *solvere portu, urbe, terra* dixit. Quod a Steinm. laudatur, de Off. 3, 12, 50 *Alexandrea solvisse*, eandem rationem habet, atque ibidem *Alexandrea (= ex urbe A.) Rhodum — adveverit.* Caesar quidem *ex portu* dixit (B. G. 4, 28), *a terra* (B. C. 3, 101), Livius *a litoribus* (22, 31), *ab Hippono* (29, 5), *ab Carintho* (21, 7.). Ne illud quidem probare possum, quod Klotzcius ex Ciceronis edd. et edd. vet. restituit *natura adfert, ut —*, cuius locutionis iure desiderabat Steinm. exempla; neque commode *a natura adferri* dicitur, quod *in ea insitum est.* Non desunt autem loci, ubi ex praecedenti litera geminata factum sit verbum aliquod compositum, ut p. Sestio § 133 in omn. edd. est *aliquid defecti* pro *a. ficti*, p. Balbo § 5 in Erf. *quod defecisse p. quod f.*, ad Fam. 5, 12, 3 in Md. *te effecti p. te fecti.* Illud quoque, quod non ita multo ante positum est *afferet*, librarium in errorem induxisse potest. Recte igitur fecisse videntur L., Ern. sqq., qui ex eodem Quintil. ediderunt, ut dici solet: *natura fert, ut —*.

valde dubito; certe aliena sunt, quae a Steinm. comparantur: Quintil. 3, 1, 14 (*artem oratoriam*), Ovid. Trist. 2, 486 (*artem nandi*), Plin. Ep. 1, 10 (*humanitatem*), Cic. Off. 1, 26, 90; 3, 3, 13. Cic. quidem *de eloquentia praecipere* et sim. dicere solet. Neque vero solventibus, qui et ipsi nautae essent, opus erat *discere, quomodo illas res* evitare possent, sed tantum ante *audire, quid* sibi evitandum esset. — Recte autem dici (*causam*) *ad aliquem agere* hi loci docent: Epp. ad Fam. 5, 10, 4 (*ad Caesarem meam causam agas*), p. Ligar. § 30 (*ad parentem sic agi solet: ad iudices*—, et paullo post: *Ad iudicem sic;* 1) *sed ego ad parentem loquor*. Cf. etiam p. Rosc. C. § 12, 13, 45, Verr. 3 § 68, ubi sine var. (etiam in Vat.) legitur: *se ad recipiendos esse dicturum*. Quare etiam in Epp. ad Qu. fr. 2, 6, 6 sine dubio legendum est: *si sibi ad populum dies agendi essent exempti*, quoniam in Med. est: *a populo*, quod vix ex vulg. lect. cum p. fieri potuit. Contra non mirum, si antiqui alicuius codicis mendum *a populum* (*populū*)

1) Quod in editionibus additur, *agi solet*, servatum etiam in Erf., quoniam in Pith., 2 Oxx., ed. Ven. deest (de suis silet Steinm.), non dubito, quin recte L. in marg. 1584 (sine dubio ex suis optimis cdd.) deleri voluerit. Quam facile illud ex iis, quae praecedunt, intelligi potuerit, perspicuum est: quantum brevitati dicendi, quam Cie. consulto h. l. sequitur, eo additamento noceatur, nemo non sentit. Quod autem maximum est, ne aptum quidem illud *agi solet* est: ex contraria sent. *sed e. ad p. loquor* cum facillime, tum aptissime intelligitur: *loquerer (dicerem)*. Cf., quae proxime praecedunt: *Ne haec quidem colligo, quae — valent — apud iudicem: „Legatus — tuus.“* Denique meminimus Caesarianas illas orat. glossematis esse refertissimas, eaque non pauca habere codicem Erf., plerumque tamen superscripta, quae, etsi in optimo ed. Col. omissa, iniuria fere servavit Klotzius. Ita § 12 ex Col., Pith., 4 Oxx. ed. Ven. recte omisit Madv. *omnia*, servatum in Erf.: quod in vulg. distinctione mirum quantum languet; in Klotziana autem (*— vestrum, studia — optimarum: nota mihi sunt omnia*) membrorum concinnitas aequalitasque vehementer turbatur, neque Tullianum colorem habet illud: *nota m. s. omnia (studia vestra? — id iam in illa lect. dictum erat — an quae vobis propria sunt? — id vix ita dici potuit, neque aptum est — an omnino omnia? — hoc quidem cum alienissimum, tum absurdissimum est.)*. In vulg. dist. verba *Novi — vestrum* rectissime explicantur sequentibus: *studia cet.* Ibidem § 16 ex Col., 2 Lamb., 1 Ox. Wunder. et Madv. recte delerunt: *Ligarius*, in Erf. superscriptum tantum. § 30 veram lectionem ex iisdem fere cdd., qui *agi solet* omittunt, (Pith., Dr., 4 Oxx., Haun., edd. vet.) restituit Madv., probante in Praef. Klotzio: *Er-ravit, t. fecit*. Vide igitur, ne temere a Klotzio ex Erf. eiusque gemello, Archiep., scriptum sit *apud parentem*, ubi ceteri *ad p.* habent.

ita correctum est. Cf. ad § 34 (*templo*) et infra ad § 124, ubi Vaticani et familiae tertiae lectionem *ad columnam Maeniam* vindicaturus sum. — Paulo ante (§ 117) primo aspectu probabilis videri poterat Orellii coni. *incitatus*; sed, ita si Cic. scripsisset, melior verborum ordo hic erat: *inc. illa sua vecordi mente, furibundus*: certe in Acadd. 2 § 14 *incitatus mente esse* et *furere* ita posita sunt, ut hoc gravius quiddam, quam illud, esse appareat. Quid autem in vulg. l. *incitata* Orellium offenderit, equidem non video. Dicitur Clodius ad ludos venisse *furibundus*: cur? eo, quod *vecors illa mens*, qua esse *semper* solebat, tum audito illo S. C. *incitata* erat atque *vehementius inflammata*. Cf. Acadd. 2 § 89: *Alcmaeo*—, qui (iam *furens*; cf. § 88) *negat cor sibi cum oculis consentire nonne ibidem incitato furore* (3: cum furor eius initio remissior paulatim incitatio et vehementior factus esset): *Unde* cet.; ubi item *incitato* offendit Davisium, qui probante Ern. legendum suspicabatur: *incitatus*, a Wopkensio (Lectt. Tull. p. 55 ed. Hand) non male refutatus. Handium vero, V. Cl., „quam incitationem furor, qui ipse esset summa animi commotio, admitteret“, non satis intellexisse mirum sane est. Quasi cursus ullus aut furor tam acer, vehemens, accensus, commotus sit, qui non vehementior et commotior fieri (*incitari*) possit. Qui ab ipso laudatur locus, Scrib. Larg. 94, ab illo alienus est; nam *toxicum—concitat mentis furorem* est:—*excitat, affert*, ut idem dicitur *ciere dolorem omnium interaneorum infinitum*.—

56, 120. *partium in rep. tamquam in scaena optumarum*. Exempla a Mg. allata Orellio persuadere debuerunt, ut nunc pro-  
sus abiiceret audaciorum illam suam coni.: *p. tam in re p. quam i. s. opt.* 1) Quae eadem illud, quod legitur in Or. p. Red. ad

1) Paulo supra, ubi legitur: *Set mihi sumpsi — doctrinam quandam iuventuti*, erat tempus, cum *iuventutis* legendum mihi videretur. Haesitabam enim in duplici Dativo (*miki — iuventuti*) apud Ciceroem ita posito. Sciebam quidem dici potuisse, etiam ab antiquioribus, *capere sibi locum* et *c. l. castris, quaerere sibi praesidium* et *q. p. periculis, statuere sibi modum* et *s. m. orationi*; sed, ut A. Grotefend. (II. § 392), ita ego desiderabam locos, ubi uterque Dativus (Commodi), et personae et rei, cum eodem verbo ita iunctus esset, ut alter propius ab ipso verbo penderet, alter remotius a tota locutione, sicut nobis Danis dicere licet: at vælge sig en Plads for Leiren, at sege sig et Værn for nullige Farer, at sætte sig en Grændse for sin Tale. Ne Zumptius quidem eiusmodi locum ullum norat, cum in Verr. 5 § 163 ex

Quir. § 4, *Sed, tamquam bona valetudo iucundior est eis* (Vat. iis) *qui e gravi* (idem male omittit e; nemo, opinor, *re recreari* dixit pro: *e re rec.*: excidit E post I, ut in Mureniana § 4 accidisse paullo ante dixi) *morbo recreati sunt* —, *sic* — *delectant*, a V. D. nescio cuius reprehensione particulae *tamquam* sic positae satis superque defendunt. A correctione quidem (Graevius legebat: *Sed, sicut bona* —, scilicet quia edd. aliq. ex interpretatione habent: *Sed sicut tamquam*) vulgatam lect. tutissimam praestat Vaticani, Erf. (in quo frequenti quadam confusione est *Sic tamquam*), ceterorum edd. consensus.

57, 122. Ad vindicandam codicum lectionem *pro me* contra ingeniosam Madvigii coni. *pro re* Orellii defensionem haec ego addo. Apertum est connexum inter se in Accii tragoedia fuisse versus: *O — benefici* et: *Exsulare — patimini*, cosque ambo demonstrari pronomine *illa* (*Quid illa q. dixit idem?*). Quos primum interiectis verbis *quae — senatus* Cic. sibi videri ait quasi *pro se* non solum actos, sed etiam *scriptos* (id enim mihi ex verbis *quae* —

---

Lag. 29 (qui ed. in illa quidem eius orat. parte, ubi deest nobis meliorum codicum auxilium, dominatur, sed, quam caute sequendus sit, ex ceteris partibus satis intelligitur) edidit: *Statui egomet mihi tum modum et* (et vulgo omittitur) *orationi meae, et C. Numitorio, — testi meo*: quod Or. (in ed. min.) et Klotz. receperunt. Negat enim ille V. Cl. in eiusmodi orationis forma abundare pronomem (*mihi*) eleganter nec Guilelmo nec cuiquam credere. At recte vulgatam lect. defendebat ingeniosissimus ille Guil. a violentiore Lambini eoni. *mod. o. m. faciendum*, nisi quod *abundare eleganter* illius aetatis more dicebat, quod hoc quidem loco non sine sua vi additum est. Duobus enim duarum rerum modum Cic. statuisse se dicit, *sibi ipsi orationis suae, Numitorio testimonii* (id est enim *testi suo*). Quod ipsum in vulg. l. meo quidem iudicio multo melius dicitur, quam in Zumptiana; in qua perversius *mihi et or. meae* per *et* copulantur, quasi *tribus* modum statuerit, *sibi* (quid facienti?) *et or. suae* (o: sibi causam oranti) *et Num. testimonium dicenti*; neque multum prodest distinctio illa a Z. et ab Or. post *meae* facta. In vulg. autem lect. *ne meae* quidem abundat, quod *Tullii* orationem gravius testimonio opponit *Numitorii*. Hic igitur locus et ille Sestianae, iam a Gesnero s. v. *doctrina* recte explicatus: *d. q. i. profuturam* [sumsi mihi hoc, ut docerem, quod iuventuti ad discendum praeclarum esset, ut fere dicitur § 96], inter sese tutantur, quibus accedit tertius, quem corrigere summae temeritatis esset, de Imp. Pompeii § 70: *mihi — aut praesidia periculis aut adiumenta honoribus quaeram* o: quaer. mihi, quae ad pericula p. sint, ad honores adiumenta.



et scripta — dici [pro me] viderentur recte intelligi posse videtur). Deinde priore versu recitato quasi corrigit se ipse, cum dicit: *Non erat illud* (ille prior versus) *quidem verum; non — universi* (3: ille quidem versus *re vera pro me* scriptus aut actus videri non potest). Denique ad alterum transiturus praemittit verba: *sed tamen illud — accusaret*, quorum sententia haec mihi esse videtur: „sed, etsi superior ille versus ad meum casum non satis accommodatus erat, tamen ille, quem iam sum recitaturus, ad meam causam tam aptus erat, ut scriptus a d. poeta pro me, actus a f. actore de me recte dici posset.“ Ita hunc locum intellexisse Matthiaeum opinor: qui quidem post *universi* punctum posuit. Fateor tamen paullo durius sic idem pronomen (*illud*) et de eo, quod praecedit, et de eo, quod sequitur, esse dictum. *Scripsit pro me* in illam sententiam dici potuisse Orellium puto laudatis verbis (§ 123) *Utrum — oportuit* confirmasse: quibus accedunt, quae ibidem leguntur: *Neque poetae [Accius, alii] tempori meo defuerunt* 3; interprete Matth., casum meum sublevarunt iis versibus, qui, etsi non de me scripti, ad mea tamen tempora accommodari *tanquam pro me scripti* poterant. Ut autem Cic. h. l. praepositionem variaret (*pro me — de me*), ipsa duo diversa de diversis hominibus posita verba (*scripsit — egit*) requisisse videntur, praesertim si sententia haec fuit: „illud, quod p. non *de me*, sed *pro me scripsit*, actor ita *egit*, ut etiam *de me scriptum* esse *videretur*. Infra, ubi idem minus graviter enunciat, communiter de utroque cum *dicere*, tum *pro* positum est. —

62. 130. *excitatus cum summa auctoritate P. Servili, tum incredibili quadam gravitate dicendi*. In Arch. fuisse *exc. summa cum a. P. S. quadam g. d.*, omisso *tum inc.*, codicum (Abd, BC, Gruteri) 1) testimonium evincit, itaque posito ante *summa* corruptelae signo, post *Servili* lacunae malle *Or.* scripsisset, quam ut nunc cum Lamb. ex Manutii con. edidit, quae ex or. de Prov. Cons. § 22 et post Red. in Sen. § 25 ducta, etsi non prorsus improbanda est, tamen veritatis notas non omnes habet. In ea enim, ut omittam *P. Servili* verbis *cum s. a., tum i.*

1) Quod in c est *tum* ante *quadam* et legitur *cum summa*, Hervagii ipsius correctioni tribuendum est. Ceterum sine dubio *cum* inter — *tus* et *sum* — errore a librario aliquo omissum ab eodem, ut saepe factum est, statim post *summa* restitutum est.

q. g. d. praeponendum fuisse videri, cum *Servilii auctoritas* (ea, quam alias in senatu habebat, an quae tum dicentis erat?) non nimis bene opponitur *eiusdem gravitati dicendi*, tum longe aliud quiddam dicitur atque l. c. de P. C., ubi eadem illa res iisdem fere verbis commemoratur: *Q. Metellus Nepos nonne consul in templo Jovis O. M. permotus cum auctoritate vestra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi absens mecum summo suo* (hinc Lambini coni. Vaticani testimonio nunc confirmata, nostro loco suo post beneficio excidisse) *beneficio rediit in gratiam*. Vides ibi Metellum dici etiam *ceterorum senatorum* (ante Servilium sententias dicentium) auctoritate excitatum cum Cic. in gratiam redisse: quorum mentio etiam altero l. c., quamquam obscurius, facta est: *Q. M. — perspecta vestra voluntate omnia privata odia deposuit*. Vide igitur, ne ita potius legendum sit: *exc. cum s. a. P. C. (patrum conscriptorum) tum P. Servili incredibili q. g. d.* Notum est senatores non solum alloquendo, sed etiam interdum commemorando *patres conscriptos* esse appellatos, ut § 128, p. Planc. § 87 et 78 (ubi Erf. p. c., ex quibus notis in p. r. depravatis, ut de l. Agr. 1 § 28, in ceteris edd. factum est *populus R.*, in Bav. *patres*), in Pison. § 18, in Verr. A. I. § 44 (ubi pro *patres conscriptos* Guelf. 2 habet *pres ac*), ibid. lib. I § 99 *patribus conscriptis*, Phil. 13 § 28 *pater conscriptus*, Corn. Nep. Hann. 12, 2. Ut autem *incredibili* post *Servili*, infra suo post *-cio*, ita *P. C. tum* ante *P. Serv.* excidere facile potuisse nemo non videt. Non raro ita *P. C.* excidit, ut Catil. 4 § 23 in 5 melioribus edd. ante *pro*, ibid. § 24 in iisdem, § 20 in aliis: quamquam etiam contra fieri potuit, ut alibi in voc. *iudices*, ut ab interpolatoribus adderetur, ut Catil. 1 § 32, ubi ex plerisque edd. a Madv. omissum est. *Senatus* vero neque tam aptum est neque tam facilem habuit omissionem.

63, 131. *idem dies adventus mei fuisset reditusque natalis, idem — Salutis, ut scitis*. Ex Arch. (Ad, BC, S. Vict.) recte nunc legi verba *idem — idem* testimonio etiam est, quod Schol. Vat. ad h. l. annotavit: *hunc diem significat et reversionis* (ϝ: „*adventus reditusque*“) *suae fuisse in coloniam Brindisim* (lege: *Brindisimam*) *et natalem filiae, etiam ipsius coloniae —*: quae eadem periphrasis illud etiam declarat, ab eo interprete *natalis* non (ut in Baiteri distinctione Orellio probata) cum *ad-*

*ventus reditusque* innectum fuisse, sed (ut in Gruteri, Ern., Sch., Madvigii interpunctione: *reditusque, natalis idem* —) cum sqq. tantum: *filiae, coloniae, (Salutis)*. In qua ratione et facile, ut saepissime fit (cf. § 135 *consularem legem nullam putare*), bis cogitari *dies* potest et recte ab initio sqq. verborum *idem* positum est (non: *idem natalis* —), quippe quod tribus membris commune sit maioremque quandam vim habeat (cf. Epp. ad Att. 4, 1, 4), apteque post *fuisset* additum est *reditusque*, quo significaretur ille *adventus* in *redeundo* esse factus. Cf. Mg. p. 499. Orellianae autem rationi plura obstant. Primum ita *quattuor* fiunt *natales*, quos in Epp. ad Att. 4, 1, 4 *tres* solos Cic. posuit, cum diem *adventus* eundem natalem *Tulliae, Brund. coloniae, Salutis* fuisse scripsit. Deinde dies ille, quo Brundisium advenit, vix recte poterat dici *reditus eius natalis*: quod si, ut necesse est, ita explicatur: „dies, quo *reditus eius* quasi natus est“, quid tandem sibi vult *adventus mei natalis* (d., a quo adv. meus incepit)? *Adventus* enim quin non de universo in patriam *reditu*, sed de solo in B. coloniam *adventu* dictum sit, dubitari non potest: is autem uno die atque adeo uno temporis puncto absolutus est. Sin contortior haec explicatio initur: „d., quo Cic. suo Brundisium *adventu* et in patriam *reditu* quasi de integro natus est“, duobus villis verba illa laborant. Non Brundisino *adventu* facta est illa Ciceronis palingenesia (cf. ad Att. 6, 6 et p. Red. ad Quir. § 5, ubi declamatorie dicitur: *a vobis natus sum consularis*), sed *reditu* demum in Urbem; neque commode ita ab eodem subst. plures diversi generis Genitivi penderent, primum, quos dicunt, subiectivi (*dies natalis, quem affert adventus reditusque*), deinde possessivi (*filiae* cet.). Vides iure a Garatonio locum ab Abramio et nunc ab Or. ad distinctionem illam defendendam collatum (ad Att. 3, 20, 1: *diemque natalem reditus mei cura ut in tuis accidibus —agam tecum* 3: diem, quo *Romam* rediero, qui tanquam alter natalis mihi futurus est) ab h. l. alienum esse dictum. — Quod autem Or. ex Lni coni. edidit: *idem Salutis, ut scitis* (cdd., *bed om. Salutis*), recte non fecit. Si enim *Salutis* „propter ductuum similitudinem“ excidit, cum verisimilius est post *ut scitis* excidisse, tum Ciceronis usus postulat, ut *parenthetica* illa sententia (*ut scitis*) inter *idem* et *Salutis* intericiatur. Cf. loc. ab Or. laud. § 74: *surrexit, ut scitis, Atilius*. Sed vide ne vera sit Madvigii ratio

(ipsi Lambino non improbata), ut scribatur *idem Salutis*, omisso *ut scitis*, quod etsi non plane otiosum est, tamen h. l. aptissimum non videtur. Aliter res se habet § 74, ubi exponitur, quod auditores ipsi prius recenti re Romae audiverant, posterius in exilio Cicero. Cf. § 122. Ego igitur hunc locum ita edidissem: *idem [ut scitis] Salutis*, vel potius ita: *idem † ut scitis*. Paulo post, ubi Or. scripsit: *optunorum et † doctissimorum virorum*, certa mihi videtur Garatonii coni., ab Or. in Lectt. Mem. nunc praetermissa, ipsi olim non minus, quam Matthiaeo et Mgio probata: *o. et fortissimorum, v.* Cf. praeter locos a Gar. citt. p. Sestio § 9, 132, in Vat. § 26, al.

64, 133. *quae — vetat gladiatores biennio, quo quis petierit aut petiturus sit, dare.* Non putaram fore, ut Mgi conii. (*petierit aut delendum esse*) ab Or. sperneretur: ita firmissimis argumentis munita mihi videbatur. Perseverat autem V. Cl. in vulg. l. defendenda: „Ego sic intelligo, inquit: *petierit*, post prensationem, *petiturus sit*, paullo ante prensationem.“<sup>1)</sup> Quae verba si plane intelligerem, refellere conarer: nunc, quoniam iusto brevior Or. fuit, haec tantum ei oppono. *Biennio, quo quis petierit, gl. dare* qui vetat, nihil aliud vetare intelligi potest nisi hoc: *biennio post petitionem g. dare* (quod ipsum num illud Orellii post *prensationem* significet, nescio); eam autem legis Tulliae sententiam esse non potuisse satis probavit Mg. Scilicet ea lex (cuius in Vat. § 37 plenior sit mentio) vetabat, ne quis eo biennio, quod annum, in quem peteret aliquem magistratum, praecederet, neve cum iam peteret, neve ante quam petere coepisset, g. daret. Quoniam igitur cum Pantagatho et Garaton. corrigere *petat* audacius est, et tamen remanet particula *aut* rite non posita (Cic. dixisset aut, ut l. c., *p. petiturus ve sit aut petat petiturus sit*), reliquum est, ut illud *p. aut* prorsus deleatur. Cui rationi non infirmum hoc ego affero praesidium, quod ea verba in suo cd. legisse non videtur Schol. Vat., qui haec annotat: *praescribebatur enim inter alia* (cf. id. ad Plancian. c. 34 et ad or. p. Sulla c. 5), *ne candidatus ante biennium, quam magistratum [sc. comitiis suis] petiturus esset, munus populo ederet*: qua periphrasi *petierit aut* non contineri apparet.

1) Jure quis quaesierit: „Ergo in ipsa prensatione g. dare licebat?“ Neget ipsa Tullii lex („biennio quo quis *petat* cet.“)

65, 135. *Dicet se — transtulisse.* Ita nunc Or. ex Abd, BC, 3: ex Arch., relicta Hervagii, Lamb., sqq. lectione: *Dicit.* „Festive occupat lepidum Vatimii dictum eaque occupatione infringit.“ At post *duas habet defensiones: primum — inquit* quis non exspectat *dicit?* cum praesertim proxime praecedat: *Accipite aliquid* 1) *etiam acutius:* cuiusmodi qui quid dicit, is non *futurum* aliquod dictum audire iubet, sed aut praeteritum aut praesens. Neque vero non amarius praesentis temporis verbo dictum illud perstringitur, quasi iam ita defenderet licentiam suam Vatinus. Denique, quae sequuntur: *Verum utatur —*, impedimento non sunt, quo minus *dicit* legatur. Cf. de P. Cons. § 15, 16: *utuntur* (Ern. male susp. *utentur*) —. *Sed fruatur — hoc solatio, dummodo, cuius exemplo se consolatur, eius exitum exspectet.* Quam frequens terminationum *it, et, at* vel in opt. cdd. sit confusio, nemo ignorat. Ita paullo post, ubi nunc ex necessaria Mgii correctione legitur *contemnit — statuit*, in AB (3: Arch.) *contempnet — statuit est*, in C, ut in edd., *contemnat.* — In verbis *lex est scripta de gladiatoribus* sedes incerta est vocabuli *est* in ABC (3: in Arch.) omissi. Vide, ne *st* potius post *scripta* aut post *glad.* exciderit, quam *ibi est*, ubi ab Hervagio sqq. positum est.

1) Orellio *aliquid est aliud quid:* quae eius pronomini significatio commenticia omnino mihi esse videtur, praesertim apud Cic. Quid enim prohibet hunc locum Germanice ita interpretari: *Hört nun etwas noch scharfsinnigeres?* Ut autem h. l. vocabuli *alius* notio non in *aliquid* inest, sed in tota sententia, maxime in *etiam acutius*, ita loco ab Or. cit., Brut. § 163 (*aliquid praeter illum — libellum*) latet *aliud* in *praeter*, ut apud Livium 3, 63 (*aliquid — praeter odia*), p. Sest. § 140 (*ex nostro aut aliquorum praeterea*) in *praeterea*. Ubi vero necessaria ea notio est (ut non - est p. Caelio § 55; vid. Garat. et meam ann.) neque ex ceteris verbis elici potest, emendando restituenda est. Cdd. enim vel optimi saepe peccant *aliqua* pro *alia qua*, similia (unde illa monstra p. Sest. § 63 *aliquapiam* in Gemblac., § 140 *aliquaedam* in A, de quibus cf. Mg. p. 465) et *aliquid* p. *aliud*, ut p. Cluent. § 179, ubi ex plerisque cdd. (multi ibi mutili sunt) Klotz. non recte legit: *aliquid* (2 cdd. et Camer. sqq. *aliud*) *agentem*; nam et oppositum *eiusmodi* postulat *aliud*, neque ita dicitur *aliquid agere* de eo, qui id, quod cummaxime agendum est, non agit, sed semper aut *aliud agere*, ut Orat. 26, 87, vel in contraria sententia *nihil aliud a.*, ut ad Att. 16, 11, aut *alias res agere*, ut p. Rosc. A. 22, 60.

*Ibidem.* quod statuit omnino consularem legem nullam putare. Ita nunc Or. ex Lamb. coni. Mgio probata, omisso *se*, quod ceteri (de Gruterianis edd. silentium est; in det. edd. et vet. edd. haec desunt) inter quod et statuit ponunt praeter A., in quo est *si*: quod si (ut mihi persuasum est) in Arch. fuit, non mirum, si in BC (ex quibus nulla varietas enotata est), ut in hcd, correctum in *se* est. *Se* quidem ferendum non esse Lamb. et Mg. recte iudicarunt; sed sive *si* sive *se* totum delere cum audacius est, tum non necessarium. Optima enim illa et verissima Mgii coni. est ipsi improbata: quod sic statuit, omnino cct. Cuiusmodi ille quidem particulae sic abundantiae (quae sequente statuendi verbum accusativo cum inf. frequens est; cf. § 24) nullum exemplum affert, quamquam ut simile quiddam laudat illud Planci (ad Fam. 10, 8, 6): *Ita sum animo paratus vel provinciam tueri* — (ubi tamen cur *ita* cum sequenti *ut vel* — *recusem* iungendum non sit, ego non video). Sed ego postea duo locos inveni, quibus omnis Madvigii de suae coni. veritate tollatur dubitatio, p. Cluent. § 47: *Itaque tum sic statuit, per C. Fabricium — insidias Avito comparare*, et Verr. 2 § 9: *hoc statuerunt, aut istius iniurias persequi aut — sedes suas relinquere.* 1) In

1) *Relinquere* Manutio debetur, cuius cum facilem tum necessariam correctionem sqq. editores iure in textum receperunt praeter Klotzium, qui foedum codicum mendum *reliquerent* restituit, quod a Bremio (ad Fin. 3 § 31 et 53) ita defensum est, quasi Cic. se supra *ut* non posuisse oblitus esset. Frustra. Is enim, ut numquam dicit *constitui me hoc facere*, ita ne sic quidem loquitur: *constitui, ut hoc facerem*: dicit, ut debebat: *c. hoc facere*. Quod ab eodem V. Cl. confertur, Caes. B. G. 2, 16: *constituerunt optimum esse domum suam quemque reverti et — convenirent*, alienum est. Ibi enim, si lectio sana est, *convenirent* dictum est, quasi praecederet: *optimum esse, ut d. s. quisque revertetur*, ut B. C. 3, 83 (ab Heldio coll.) *ferrent* recte se habet post *placere sibi* — *tabellas dari* (*pl. s., ut tabellae darentur*), ubi tamen *ferrent* etiam cum *dixit* recte iungi potest, quoniam dici potest: *dixi (ut) hoc facerent*, legitimusque in oratione obliqua coniunctivi imperfecti usus est de eo, si quid fieri iubetur. Cf. B. C. 1, 83, ubi rectum est *committere* —, *ut — impediret*; dicitur enim *et teneo propositum hoc facere et t. p., ut hoc faciam*. De Fin. autem 3 § 53 ex *neque — illud fieri poterat, ut nihil relinqueretur*, interiecto altero infin. (*nec — poni sc. poterat*), in verbis *nec — essent praeposita* intelligi *ut* vix potest, sed ex Morelli et eius librarii, qui ed. Eliensem I. scripsit, coni. legendum est *esse praeposita*. Nimis, ut Verr. 1. c. proxime praecedentes coniunctivi *essent visi — ferretis* mendum illud *relin-*

edd. confundi voculas *sic, si, se, sit, set, sc.* (*scilicet*) tralatitium est, ut ait Or. ad Brut. § 235, ubi Par. D. *si* habet pro vulg. I. *sic*. Inde error Schol. Vaticani et Jul. Victoris, qui p. Milon. § 29 habent *si, ut exposui* pro *sicut* (Klotz. ex Erf. minore cum auctoritate *sicuti*) *exp.*, et meliorum edd. mendum in Orat. § 83 *si, ut p. sicut*. Contra de Opt. gen. orat. § 23 opt. ed. Sangall. alique *sicut spero* p. *si, ut spero*. *Se* pro *si* pro Scauro § 19 uterque Lalimps. praebet. De *sic* et *sed, sc.* et *se* confusis supra dixi. Quod p. Sest. § 133 in Vat. legitur: — *displicere se quis nescit*, unde Maius probante Klotzio fecit: *d. Sed q. n.*, Mgio inprobatum (qui iure ne *ecquis* quidem scribi patitur), nihil aliud est quam negligentior quaedam syllabae *re* dittographia.

66, 139. *auctores huius dignitatis atque imperi.* In hac codicum (Abcd, BC, Pal. 9, Lamb.) lectione voc. *dignitatis* corruptionis signum meruerat. Commodè explicari hanc lect. sic posse in ed. alt. dicebat Or.: „auctores huius imperii, cuius maxima [imo haec] est dignitas“, coll. § 141: *eam rem p., quae tanta dignitate est*. At primum is locus non probat tale Hendiadyoin excidere Ciceroni potuisse, quali usum eum Or. vult: quod mihi quidem tam durum videtur, ut vix apud Tacitum, eiusmodi constructionum amatorem, ferendum fuerit. Cic. quidem dixisset *huius tanti imp.* vel *huius, quod tanta dignitate est, imperii*. Cf. § 143 et § 1. Deinde, quod maximum est, *dignitatis* notio, quae illic, ubi Atheniensium et Romanorum civitates inter se comparantur, opportunissima est, ab hoc loco prorsus abhorret, ubi turbulentis hominibus, qui *perniciosi cives* semper existimati sunt, opponun-

---

*querent* genuerunt, ita hic propter interiectum *quod s. ae. esset* peccatum est *essent*, et de Fin. 4, 13, 33 ex superioribus coniunctivis *esset — esset — excelleret* natum est mendosum illud *esset* verborum: † *Tale enim visum esse t ultimum Stoicorum*, ubi legendum esse: *quod in quaque excelleret (tale enim visum est ult. St.)* [a: dico: „quod i. q. excelleret“; id enim ipsum, quod in homine excelleret, in superiore disputatione (cf. initium eiusdem §. et 11, 28) mihi visum est ultimum St. esse] ego in censura Thorupii nostri commentationis, quae inscribitur: „Loci aliquot in Cic. libris de Fin. B. et M. partim explicati partim — vindicati. Ripis Cimbricis 1836“, fusius demonstravi, ubi illud etiam probare conatus sum, ibid. 3 § 31 VT excidisse aut, ut Gesnero videbatur, post *NATVRAM* (cf. p. Flacco 27, 65, ubi simillima periodi structura est) aut post *QVAM*, ut 5, 11, 30 *NE* excidit ante *IN* — et *VT* post *QVIDEM*.

tur sui adversarii, qui (ut idem de iisdem § 138 dicitur) optumatum principes atque auctores et conservatores civitatis habiti sunt. Certissima est igitur Guilelmi con. ab ipso Or. in ed. alt. ingeniosa appellata, in tertia ne commemorata quidem: *a. huius civitatis atque imp.* Quam apte iungantur *civitas atque imperium*, neminem fugit: quam ad sententiam accommodatum *civitatis* sit, intelligi ex l. c. potest. Cf. etiam § 97 de iisdem optumatum principibus: *principes civitatis*, § 98: *reip. gubernatoribus*, et (ubi idem dicitur atque § 138): *summi viri et conservatores civitatis*; p. Flacco § 36 *iste auctor suae civitatis*, ad Att. 8, 2, 2: *ab ullo auctore rei p. ac duce*.

67, 141. *satius sit*. Codicum lectionem *non aliud sit* corruptam esse consentiunt Schütz., Dobraeus, Mg., Or. Quorum duobus prioribus videbatur legendum esse *optabilius sit*, quod (iudice Madvigio) longius discedit ab antiquae scripturae vestigiis neque apte dici videtur. In *non aliud* latere adiectivi alicuius comparativum eiusque extrema litera *s* propter eandem sequentem extrita initioque vocabuli corrupto natum esse illud *non aliud* certum habet Mg., cui *NALIV* [unde, quoniam *non* per literam *n* et notam quandam in cdd. scribitur, facilis correctio fuit *non aliud*] ex *MAIV* oriri potuisse videtur. Quae con. cum proxime ad codicum vestigia accedit, tum, quoniam requiritur potius voc., quod *amplius*, *praeclarius*, quam quod *beatius* significet (respondere enim praecedenti *tanta dignitate* debet), in sententiam maxime convenit. Unum illud dubito, num Cic. ipse ita *magnum*, *maius*, *maximum est* ponere soleat: Caecina quidem in Epp. ad Fam. 6, 7, 6 ita dixit *id magnum et amplum est*. Quantum equidem memini, in iis formulis aut *difficultatis* ac *molestiae* quaedam notio inesse apud Cic. solet, ut in Laelio § 29, Acadd. 1, 2, 7, aut *gravitatis* ac *ponderis*, ut in Laelio § 69 (*Sed maximum est* 3: maximi momenti). Or. denique, quum in Mgii con. non acquiesceret (quam ob rem, non dicit), non modo legendum censuit, sed in textu posuit *satius sit*; id quod paullo audacius fecisse mihi videtur. Non nego „illud prorsus usum Tullianum referre“. Cf. praeter alia ad Att. 7, 1, 4 *video cum altero vinci satius esse quam cum altero vincere*. Sed quaeritur, num h. l. aptum ad sententiam sit, ubi agitur potius, utrum honestius sit et gloriosius, quam utrum utilius et fortunatius. Neque vero admodum



probabile est „librariis vulgaribus minus tritum *SATIVSSIT* corruptum primum cum esset in *ALIVDSIT*, paene necessario interpolatorem negationem inculcasse.“ Multo veri similis erat, quod mihi quondam legendum visum est, *MELIVSIT*, id iisdem gradibus, quibus Madvigianum illud *MAIVSIT*, in *NALIVDSIT* evasisse. Cf. in Vatin. § 10: *melius fuisse et praestabilius me civem in hac civitate nasci an te?* Sed etiam in *melius est praevalere utilitatis* notio solet. Quare equidem in textu ita scribere optimum factu duco: † *non aliud sit*, in margine autem *maius sit* commendare.

69, 145. † *certe texeram*. In A esse dicitur *certe deietexeram*, in B *certa detexeram*, unde Mg., qui vulg. lectionem (cui vix Gruteriani cdd. suffragati sunt) corruptam esse docuit, fecit *c. dilexeram*, ipse non probans, Or. autem ad sententiam aptius, a codd. vestigiis remotius *c. defenderam*. In Arch. enim fuisse syllabas *de* et *texeram* certum est, magis illud dubium, num in eodem fuerit *ie*. Mihi quidem *deiete*, si in A est, ex syllaba *te* prius mendose scripta (ut § 115 in ABC, al. fuit *contectus* pro *coniectus*), deinde statim correctam natam esse videtur. Quod in B est *certa*, ex primae familiae et editionum (cdd. vulgg.) scriptura intelligitur nihil aliud significare quam *certe*. Quare nullam veri similitudinem habent Orellii hariolationes: „*certe e clade extraxeram* vel — *exemeram*“, quibuscum hanc meam certe probabiliorum componam: *certe EREXERAM*, ex quo transpositione in *REEXERAM* corrupto (ut § 104 ex *amplexatur* in Arch. factum fuit *mallexatur*) haud difficulter nasci potuit *DETEXERAM*. Dici autem potuisse *patriam erigere* (ϝ: afflictam perditamque p. extollere et recreare) haec satis docent: ad Att. 2, 15, 2 (ut ex certissima Bosii coni. legitur) *seu ruet seu eriget remp.*, ibid. 8, 12, C, 3 *Possumus etiam nunc rem p. erigere* (opponitur: *infirmi erimus*), Liv. 6, 2 *consilia erigendae ex tam gravi casu rei p.*, Or. p. Domo § 25 *Pompeii animi dolor subvenit — rei p. civitatemque fractam malis — abiectam metu ad aliquam spem libertatis — erexit*. Neque is, qui *conservaram* dicere poterat, non, „*ut levissime diceret*,“ potuisse videtur dicere: *certe erexeram*.

Ad extremum eos locos ordine persequar, sicubi aut omnium trium familiarum scriptura aut duarum aut unius (maximè primæ) immerito ab Orellio neglecta mihi esse videtur.

2, 5 lege *haec tantae* (Or. errore, ut A, *haec t.*). 4, 9 leg. ex Erf., Pal. 9, Gembl., 2 Oxx. cum L. C. *Menulanum* (cf. p. Domo § 81: BC, S. Vict. C. *me vulcanum*; A. 2 Pall., 4 Ox., abed, Grat. sqq. et inde M. *Aulanum*, edd. vet. C. *Meculanum*; Or. † M. *Aulanum*). 5, 12 l. ex ABC, 1 Ox., ed. Rom. et L. *optimo civi*, ut bis § 29 ex Prisciano, ABC, edd. L. sqq., § 61 ex AB, 3 Oxx. (edd. vet., c), § 78 ex ABC (Or. ubique *cive*, sed cf. Verr. 2 § 32 bis, 33, p. Plancio § 51, p. Balbo § 43, Phil. 5 § 42, ad Att. 14, 11, 7, 3, 4, atque, ut omittam *avi*, Divin. 2 § 66 *anguis*, T. D. 3, 5, 11 *bili*, Verr. 3 § 36 *imbri*, Arati Phaen. v. 609 in arsi *orbi* et 586, ubi ex Grotii con. leg. est *ex orbist*). Ibidem l. ex BC, 2 Oxx. cum Mg. *illo exercitu summa*, (Or. ex A *i. e. suo s.*; edd. vet., plerique egd. vulg. *i. suo e. s.*). 5, 13 ita distingue: *Sestius, ut* (Or. S.: — *ut*) — *relinquamus: ad trib. — venianus. VI. 11.* (Or. *relinquamus. — VI. Ad — venianus. 11.*). 6, 14 l. ex 1 Ox. cum „*allis*“ in marg. Lamb. *dictum a Q. Hortensios, ut* (cett. edd. o: Arch. om. *st*; Or. ex ed. Ju. *dictumst a Q. H., ut*). Ibidem l. cum Mg. ex Ad, ed. Steph., 2 mell. Oxx. *certe dolentius* (Or. *certe, iudices, d.*; cf. Verr. 5 § 83, ubi Vat., coll. Haun., ed. Steph., Guelff. recte omittunt *iudices*, ut p. Font. § 27 Vat.). 8, 19 dist. *aspectu!* (*unum — intueri*) *vestitus aspere* — (Or. *aspectu! Unum — intueri. V. a.* —; sed cf. Liv. 2, 45; *moestique — castra*). 11, 26 l. ex omn. edd. cum Mg. *Vos, inquam — veste mutata vos pro* — (Or. ex Lni con. *Vos, vos, inq.* —). 12, 28. l. ex Vat. et omn. edd. praeter d *Si d. hoc solum* (o: „*Si dixisset tantum hoc, equites R. daturus poenas, ac non etiam fecisset, quod minatus erat*“; cf. infra *quid fecerit* et p. Red. in S. § 12 de eadem re: *neque solum id dixit, sed [etiam fecit, cum], quos — fuit, compellavit*; Or. ex ABC, d: *Si d. haec s.*), ut § 92 ex A, v. c., Oxx., ed. Ven., Ju., L. *Hoc vident omnes* (Or. ex BC, abed *haec v. o.*; sed, quod videre omnes dicuntur, *unum* illud est: „*Horum — utendum*“, explicatum verbis sqq. *Jus — necessest*) contraque § 69 cum Mg. *cum haec — sustinere* (Or. ex solis BC *hoc*, coll. § 87 contendens utroque loco *sustinere* esse behaupten, durchführen; sed illo loco *tantam rem* de *una* illa re a tribb. suscepta, ut Ciceronis causam impedirent, sing. numero recte dictum est, nostro de *universo* illo rerum statu, qui § 67-69 describitur, plurali *haec* dicendum fuit, neque *sustinere* est durchführen, sed aufhalten, wiederstehen, ut Acad. 2, 6, 18, ad Fam. 5, 10, 2, ubi *hoc est expostulatio* paullo ante memorata, 6, 6, 8). 11, 32 l. ex A cum L (v. c.) et Grat. (ex S. Vict., Pal. 9.) sqq. *ne hunc* (cf. Verr. 5 § 2, ubi ipse Or. recte ex Reg., Leid., ed. L., marg. 1581: *ne obter*; vulgo, ut nostro loco Or., *neve*). 15, 35 l. ex A, bed. sqq. *metu ac per.* (Or. ex BC n. et p.) et § 136 ex A *ing. ac virt.* (Or. *i. et v.*). 16, 37 l. ex A et omn. edd. *Italia tota* (Or. ex BC, marg. Crat. *J. cuncta*). 17, 39 l. ex A, bed, edd. vet., L., Grat. *repulsam* (cf. § 88 *vivim — refutaret*; p. Mil. § 51 *in — vi repellenda*; de P. C. § 6, 32, p. Caec. § 76; Or. cum Graevio et Klotzio ex Vat. — sed is in comm. *vim vi repellere* — BC, 6 Oxx. *depulsam*; in quo verbo locus, *de, a*, ex quo quis deiciatur, respici fere solet, sive dise te dictus, ut § 79 *ab se*, sive, ut § 76 *vi* [de foro] *dep.*, Rep. 1, 17,

71, de P. C. § 6, ad Fam. 2, 16, 1, ex universa sententia intelligendus: nostro autem l. durius intelligeretur, et qui depulisset — a me — et unde — iterum a me—). Paulo supra, ne quos homines (o: Pisonem, Gabinium, Clodium) ab eo, ad quod referendum est, dirimatur, dist. *addixerat; nec* (Or. a. Nec). 18, 40 l. ex Vat. (qui tamen peccat prioris, ut Pseudo-Asc. Verr. 1 § 31 *priore actione p. prima a;* cf. § 27 et 4 § 16, 2 § 182), edd. ante c, ed. Gothof. *superioris anni* (Or. anni s.; sed *sup. a.* praecedenti tum opponitur, ut § 63 sequenti tum; cf. § 15, in Pis. § 79, Suet. Caes. 23). Ibidem l. ex A, d, (B) C *esse peric.* (Or. ex bc, L. sqq. p. esse.) 19, 42 l. ex A, v. c. *duces pub. cons.* (opponantur inter se *duces senatus esse et senatum funditus tollere;* Or. p. c. d.). 19, 43 dist. *Vic. — inertis; int. — depelli: quid* (Or. dep. Quid) *deinde? (o: Si vic. — inertis atque int. — dep., quid d. fieret? cf. § 41, ubi sequitur alterum eorum, quae, si Cic. contenderet — armis,* fieri potuisse finguntur: *Quid, si — concidissem?).* Ibidem, quoniam in ABC deest cum ante *decert.*, in a ante *trib.* positum, vide, ne post *pl. s. plebis potius si* in Arch. exciderit (qui enim dixisset „aut mihi — vincendum“, *incertum*, ut erat, reliquerat, *victorae* Cic. ex priore pugna *discessurus esset;* id est enim *decertassem*). 19, 44 l. ex A, bc, Steph., L. *dissidissent* (Or. *dissid.*; sed cf. Brut. § 223, ubi iterum Or. mavult *dissidisset*, de H. R. § 54, ubi optt. edd. *dissedit;* neque meminim, ubi illud *sidi*, quod Prisc. se nunquam in libris vidisse testatur, boni edd. praebeant, nisi in Pis. § 82, ubi Erf. et Erl. *residissent*, ceteri, ut Med. ad Fam. 8, 2, 2, *resed.*: in Bruto enim § 316 codices ex uno et turbido fonte derivatos habere *reciderat p. resederat* mirum non est). 20, 46 l. ex A, B (m. 1), omn. edd. *denuntiarentur* (cf. de Fin 2 § 59 *profiscantur;* 3 § 39 cit. p. 15; Or. ex C, B m. 2, ut Naug.-Junt. Var. et „alli“ in marg. Lamb., *denuntiaretur*, coll. § 47, ubi ex ABC, l Ox., d, L. legitur *versabatur;* sed ibi, ut in anaphora, sing. num. necessarius est, cf. § 101, p. Sulla § 19, p. Mur. § 13, p. Cacl. § 39). 21, 47 l. ex ABC, v. c., d cum Mg. *qui superessent?* (Gruteri edd. silentur; Or. ex edd. vet. *quid superesset?*; sed sententia haec est: „si victi essent boni, nulli superessent nisi Clodiani, id est, *servi*, conducti, facinorosi, egen-tes, denique faex plebis, qua dominante *resp. nulla esset*“; cf. § 81 et 44, p. Domo § 89) et ex A, bc, L., 2 Oxx., edd. vet. cum Wundero et Mg. *rem p. venturam* (cf. p. Dom. § 96; Or. ex BC, d *rem v.* coll. Lucr. 5, 1140, de Rep. 1, 31, p. Domo § 92; quo tamen loco ante *perven.* facillime excidere potuit p, cf. p. Sestio § 61, ubi B *civi R. p. c. rem p.* et P. C. § 14, ubi edd. vet. et nonn. III familiae edd. bis *rem p. rem p.*). 22, 49 l. ex A., v. c., edd. vet. (Oxx.), Grut. sqq. *omnium bonorum* (Or. ex BC., Ald., abcd. b. o.) et ex Vat. cum Graev. et Kl. *unus bis rem p.* (Or. u. r. p. b.; cf. p. Domo § 99, ubi inter *quare* et d. fortasse excidit *unus rē p.*). 22, 50 l. ex A, d, v. c., L. *huius imperi* (Or. i. h; sed cf. § 53, 58, 65, p. Arch. § 28, ubi Mg. ex bonis edd. ceterorumque vestigiis recte edidit *pro salute huiusce imperii*). 23, 51 l. ex A *si quae — nec.* et § 105 ex eodem *si quae res* (Or. utroque l. *qua;* sed cf. § 64, 110, p. Caelio § 49, ubi ABC, Erf. *si quae*, § 50, ubi A *siq' o;* ut BC, *si quae*.) 23, 52 l. ex A (*is*), abcd *erit iis id* (in BC et Vat. *iis* excidit; Or. ex B m. 2. cum L. sqq. *his*, quod de iis Css., qui tum erant, cum pro Sestio dixit, intelligere paene necesse erat;) et § 72 ex A *Ex iis* (Or. *his;* sed non opus est demonstratione, relatio sufficit;

cf. § 25, ubi Or. ex sua con. *ab iis*) et § 91 *eos sic* —, *quibus* (Or. *hos*; sed, si demonstrando quoque, nec, ut satis erat, solum per relativam sententiam describendo Gab. et Pisonem Cic. significare voluisset, *illos* — cf. § 93 *illa fata* — dixisset, cum sequeretur in contraria sent. de iis, qui tum aderant, *hos* —, *quos videtis*; cf. § 95) et § 146 *iis pūsis, qui* (cf. p. Mil. § 103 *ii, per quos et ab iis, per quos*; Or. *his p.*) et cum Mg. ex ABC, d *ab iis, quos* (Or. *his* ex abc, quae eadem h. l. cum BC peccant *hae nationes* et § 139 *his pro*, ut § 51 ABC, ad *cum his, qui*, § 28 ABC *his, qui*, § 138 BCd *cum his, qui*). Contra l. § 91 *hi quoque* (cf. § 105 et 139 *hos*; Or. ex Wund. con. *ii*), § 138 ex ABC *hi semper* (Or. *ii*), 139 ex ABC quater *hi* (Or. *ii*; sed *post* relativam sententiam cum vi recte ponitur *hic*, cf. § 144 *hunc hoc a.*, § 2 *hos*, p. Cael. § 70 *hac*, 78, ubi ego ex A(B)C, Erf. emendavi *in hac civit.*, Verr. 3, 18, 47, Phil. 2, 27, 65). 25, 55 l. cum Mg. ex ABC, d *et uni* (Or. ex Ald. abc. *ut u.*, „quod Cic. consulto legum numerum videtur augere voluisse [at cf. § 56 *Mitto eam legem* et in Pis. c. 4] et obstat sequens *et rog.*“; quasi desint loci, ubi duplex et ita legatur; cf. § 60 et § 117, ubi recte A, bd, l., edd. vet., Grut. sqq. *stantes et cet.* a: „ita gratias ag., ut starent et manus pandissent“, cf., ubi item inaequales duae partes per *et* copulantur, § 134: *ob eam caus. — et — elatus*, p. Mur. § 3 *latorem et — consulatu*, § 52 *His — rebus commotus et quod — sciebam*; Or. ex BC, c *st. ei cet.*, ut § 103 ABC *mendose ei disc. pro et d.*). 27, 58 l. ex v. c., d., BC, cd, Steph. et, opinor, A cum Gar. et Matt. *diuturnumque* (cf. Abram., laud. a Matt.; Or. *perdiut.*). Ibidem l. ex A, edd. vet., abed, Grut. sqq. *rel. copiis suis* (Or. r. s. c.). 28, 61 l. ex Vat. *iuraverit* (cf. Orat. § 157, Quintil. 1, 6, 21: talia, quale est *iudicavisse, novisse, delevisse*, leguntur in libb. tricies septies, in T. D. tricies quater, in ll. de Fin. plus vices, in Bruto plus quadragies, p. Tullio autem quater et p. Scauro semel; *indicasse* cet. novies, duodevicies, decies, quinquies, undecies, ter; *audivisse, audiverim* semel, sexies, quater, duodecies; *audisse, audierim* novies, sexies, septies, bis, p. Tull. semel; cf. A. Grotef. I. p. 21, 24, 31) ut ex eodem p. Flacco § 59 *putaverunt*, § 51 *delectaverat*, in Vat. § 7 *servaveram*, 41 *negaveris*, p. Mil. § 18 cum Kl. *collocaverat.*) 29, 63 l. ex ABC *eiusdem f. et isdem cons.* (edd. vet., abed *f. eisdem, c.*, Or., ut fortasse 3 Oxx., *f. et eisdem c.*; cf. Orat. § 157, ex quo loco ab Or. emendato colligi potest, quod itera antiquissimi quique edd. testantur, utrumque dixisse Cic. eiusque aequales, non vero *iisdem*; sententia enim haec est: „Ennius *isdem* plarali n. dixit, etsi *eisdem* verius erat, atque, ut verius non esset, tamen non *optimus*, quam *isdem*; male autem sonabat *iisdem*; impetratum igitur est a cons., ut p. a. c. liceret a: dicere *isdem*“, de quo particularum *et, ac, nec tamen*, usu cf. Gernh. ad C. M. § 16, 31, quibus locis ego addo Fin. 1 § 11; 2 § 15, 21, 64; 4 § 62; Orat. § 44; Tac. A. 12, 11; ad Fam. 4, 12, 3; Verr. 4, 3, 7). 30, 66 ex A, bc, 5 Oxx., edd. vet. l. cum Müll. *rex erat, qui* (Or. om. *erat*). 33, 72 l. ex A *etiam quae collegae* (Or. q. e. c.; sed *etiam*, quod totam sententiam quae — me superioribus adiungit, ut fere sit i. q. *denique*, rite ab initio ponitur). 34, 73 l. cum Mg. ex A, 4 Oxx., edd. vet., bc, Grut. sqq. *rerum perturbatione* (cf. p. Flacco § 94, de l. Agr. 1, 8 23, 24; Or. ex BC, 2 Oxx., Dresd, Ald, ad r. *permutatione*: quod de rerum conversione, et quidem in deterius, antiquos, dixisse

iure negat Mg.) et list. *scripsisset, iis* (Or. s. iis). 27, 80 lege eum Mg. ex A. Var. Naug.-Junt., marg. Goth. (v. c.) *maledic Titio Sabino* (*Sabino* etiam d. L.; Or. *Sabinio*) et ex ABC, v. c., *bed*, L. (2 Oxx.) *temere* (Or. ex Erf. et Gembl. cum Grut. sqq. *tempori*, 4 Oxx., 6 Pall., edd. vet. *tempore*; sed neque *tam tempore* o: tam in isto tempore, ut vult Or., per ironiam pro *nimis mature* dici potuit, nec ulla aut in membro parallelo *non percussit locum* aut omnino in h. l. est ironia, neque vero ad significandum *tam ante tempus* aptius quidquam esse quam *temere* intelligitur ex or. p. Cacl. § 61, ubi *temere et ante tempus* synonyma sunt). 38, 82 l. ex A, abcd sqq. cum Mg. *illi ipsi* (Or. ex BC *ipsi illi*; sed cf. Mgii Opp. p. 130), ut de Fin. 2 § 82 ex Sp., Erl., 1 § 11 ex edd. vestigiis *illa ipsa*, ad Att. 4, 1, 4 ex ed. Faerni cum L. *illo ipso* (contra Orat. § 213 ex Rufino *ipse ille*, Cat. M. § 29 ex Reg. aliorumque vest. *ipsa ista*). Ibidem ex A., v. c., 5 Oxx., edd. vet., L. l. *Quod ni* (Or. *Q. nisi*—; sed Cic. dicere fere solet: *Quod ni ita esset* et sim.; cf. Cat. M. § 67, 35, 82, ubi edd. plerique *ni*, Trev. *ni*, Kl. ex Erf., aliis *nisi*). 28, 83 l. ex AB, d, L., edd. vet. (Oxx.) *Ac si tum* (Or. ex Ju., abc, Grut. sqq. *tunc*) et ex v. c. (A?) et edd. ante Naug. *aut in reimp. animo* (aptissimo chiasmo; Or. laxiore structura *a. a. i. r.*). 42, 90 notandum est in v. c. aliisque Lni fuisse *flammam ferrumque* (cf. P. C. § 21, Verr. 4 § 78; Or. *ferr. fl.*). 42, 91 non multum abest, ut ex A. (v. c.?) legam *ex efferitate* (BC *ex effer.*; Gruteriani et Oxx. silentur; edd. omnes *ex feritate*; *efferitas* Schell. citat ex Lactantio; cf. p. Balbo § 57, ubi ex ABC recipiendum est rarius voc. *adoptatio*; vid. T. D. 1 § 31 et locos a Freundio citt., Sall. Jug. 11, 6, Gell. 5, 19 ter). Ibidem ex A l. *atque ad mans.* (Or. *atq. m.*). 23, 91 l. ex A, teste Krarupio, *includere*, unde c *includere* [ut in Bruto § 322 omnes edd. (o: unus ille Laud., qui § 302 habuit *coniectiones*, ortum ex antiqua scriptura *conlectiones*) peccant *incluso* o: *inluso* s., ut Schütz. ingeniose coniecit, *illuso*, frustra obloquente Ellendtio; neque enim *venaticum* voc. est *includere* (ita et proprie et de verborum laqueis translate dicitur *irretire*, ut Ac. 2, 91, de Or. 1, § 43, in Vat. § 2) neque illo l. aut, ut § 178 *in capiendo adversario*, de iuris civilis laqueis (de iure civili iam dictum erat) aut de captiosis disputationibus sermo est, sed de iocis facetiisque *ad „iudicum animos laxandos atque — traducendos“* necessariis (cf. de Or. 2, § 236), neque sanus quisquam *breviter arguteque incl.* pro *breviter arguteque dictis irretire* dicere potuit; contra adversario ita *illudendo* o: eiusmodi dictis *irridendo* severitas iudicum relaxatur (cf. de Or. 1. c.) deque eo animos iudicum conciliandi modo proprie dicitur *illudere*, ut de Or. 3 § 202, ubi in orationis luminibus ponitur *illusio*, et 1 § 243, ubi Crassus in causa Curiana sententias iudicum ita pellexisse narratur; cf. etiam 1 § 87, 91; 2 § 237, 298, Ovid. M. 9, 66; Tac. A. 14, 52, 15, 68], BC, bd sqq. *illudere* (edd. vet. et edd. vulg. mutili sunt; Or. ex dubia Garatonii coni. Wundero probata *eludere*: at primum ex *eludere* vix fieri potuit, ut in antiquissimis edd. scribitur, etiam Taciti, velut A. 14, 52, H. 4, 8, 2, 91, *includere*, neque scio, ubi illud voc. in *illudere* corruptum sit, nisi apud Tac. H. 3, 97 in ed. Reg. et A. 14, 62 in ed. Spir. — depravatur, etsi raro atque in dett. edd., in *cludere*, *elidere*, *cludere*, *alludere*, *alluere*—; deinde VV. DD. illud non probarunt, cur *illudere* stare non posset, quod non multum ab *eludendi* verbo differre iure concedebat Gar., cf. Ae. 2 § 123, ubi *irridere et eludere* synonyma sunt, ut de Or. 1 § 91 *irr. et ill.*

p. R. Am. § 128, al.; scilicet et *eludere* et *illudere* absolute positum proprie est *sein Spiel treiben*, ut Gar. *eludere* in Miloniana § 32 aliisque locis explicat, „bacchari, quasi per ludum omnia permiscere“, exsultare, insultare, cf. Verr. 3 § 9, Liv. 37, 32, Tac. 16, 28 *impune eludere* cum Ter. Eun. 5, 4, 20 *impune inludere*, Catil. 1 § 1, ubi *eludere* = *se iactare*, Liv. 1, 48 *per licentiam eludentem insultasse*; neque, etsi plerumque additur, *quem, cui, in quo* quis *illudat*, non desunt loci, ubi *illudere* absolute positum sit, ut ad Fam. 7, 22, 1, Tac. II. 4, 8, Virg. G. 1, 181, Brut. § 292 *illudentem* = Or. 1 § 91 *irridens*, Or. 3 § 171, ubi iungo *dux. in Alb.*; neque nostro loco minus facile intelligitur, *quos illuserint* Piso et Gabinius, quam *quos eluserint*: Romani illudebantur, o: ludibrio et despicatui ducebantur ab iis, qui ipsorum provincias vexarent cet.: qui reip. contemptus deinceps in quisquillis Clodianis appellatur verbo *volitandi*, in ipso Clodio etiam verbis (§ 95) *fur. eius exsultantem*, cf. § 88). 44, 96 l. ex A(B)C, d. o: ex Arch. *ab officio vestro* (o: „pauca dicam, quae et auditoribus, maxime iuventuti, quae adest, utilia erunt nec non proprium officii vestri, iudices, erit audire — qui attente audire iisque, quae audieritis, diligenter animo perpensis religiose iudicare debetis — neque ab ipsa Sestii causa, o: a *meo* omnia, quae ad eam obtinendam pertineant, dicendi officio, aliena erunt; cf. § 119, ubi in simili digressionis excusatione significatur iudicium („*quid gravitas vestra*“), *eorum qui aderant*, ipsius Sestii et Tullii rationem habendam esse, et p. Balbo § 5 *vestri officii*, p. Caelio § 72; Or. *nostro*, quod de uno Cic. intelligere vetat vel ipsa eius in orationibus consuetudo, de qua vid. Mg. ad § 122, de Cic. autem et iudiciis, quorum aliud officium fuerit atque oratoris, explicare absurdum est). 45, 96 l. cum Grutero et Mg. ex S. Vict., Pal. 9 o: ex Arch. *Quis ergo iste optimus quisque? De num.* (sic etiam BC, post *que* omisso *de*; Or. ex A, d. *opt. quis? De* —, veritus, ne Latinum sit *iste* [o: is, cui optimates sua consilia probasse dicitis] „*optimus quisque*“: quasi aliter de iis, quos Cic. *optimi cuiusque* nomine complexus erat, *bonos omnes*, a ficto adversario interrogari potuerit, aut magis Latinum sit p. Lig. § 22 *Atque is* [quem dico] *tamen „aliquis“ Lig. non fuit*, aut *iste optimus* intelligi potuerit nisi de uno aliquo viro optimo). 45, 97 l. *optimates gravissimi = optumatum principes* § 138 (Or. dist. o., g.). 48, 103, qui nolit ex Lucillii praecepto (apud Quint. 1, 7, 15) scribere *puerei* (plur.), *furei, mendacei*, valde dubito, num is cum Or. ex Abc scribere debeat *plebei*, ac non ex (B)C, d (cd. St.), L. sqq., ut Vat. in comm. ad h. l., *plebi*. 54, 116 l. ex A, d, *L. templo Virtutis honos*, ut § 120 ibique Schol., de Rep. 1 § 21, Liv. 29, 11 (cf. 25, 40; 27, 25); Plut. de F. Rom. 7, 277 R.; in Arch. enim suspicor superscriptum fuisse sollemnis nominis quasi supplementum *Honoris (Honoris et Virtutis* dicitur in Verr. 4 § 121, 123, apud Liv. 27, 25 bis, Ascon. ad Pisonian. § 44, Vitruv. 3, 1, 2 bis, prooem. 1, 7, 17, Plin. 35, 10, Schol. Vat. ad h. l. et ad Plancian. § 78, Plut. Marc. 2, 463, in inscriptt. et numis apud Garaton.), idque deinceps vario loco in textum receptum, in B et S. Vict. (qui habent corrupte *t. virtus honoris h.*) eoque primae fam. cd., unde derivati sunt Ascensii et Hervagii cdd. (in quibus sine dubio fuit idem, quod in illis, in be male correctum in *t. virtus honori h.*) post *virtutis* (cf. N. D. 2 § 61, 3 § 61, Schol. Vat. ad § 120, Plut. de F. R., 7, 264.), in Erf. et Gembl. (ex quibus Or. cum Grut. sqq. edidit *t. Honoris — Virtutis h.*,

romine cum per se absurdissimo, tum omnino inaudito) ante *virtutis*, in eo autem tertiae fam. ed., unde oriundi sunt Pal. 9 et ed. Steph. (in quibus est *t. honoris h.*, quod idem C habet, h. l., ut § 33, ubi cum ed. St. supplet *siebant*, et § 29, ubi item in lacuna cum eodem addit *caedem*, et § 29, ubi cum eodem habet *cum patre eius est*, ex aliquo tertiae f. ed. interpolatus) *virtutis* sive errore sive corrigendi causa omissum; de fide autem codicis A, quem aemulantur codices Naug. et Lamb., cf. p. 4 et 16, atque de similibus Archetypi glossematis Mg. p. 475 et 498. 55, 119 l. ex Vat. *quaeso hoc in loco* (Or. q. h. l.; utrumque recte dicitur). 56, 120 l. ex A, d. † *Quam enim* (Or. ex BC, bc † *Qua enim*; in Arch. fuit *Quā*). 58, 123 l. ex A, d., L. *huc me* (*huc* cum maiore vi ab initio positum, ut § 119 *hoc in loco*; Or. ex BC, bc *m. h.*). 58, 124 l. ex A, bd, L., Grut. sqq. *Maximum* — *iudicium* (Or. ex e et collatoris de BC silentio o: sine dubio ex sola Hervagii conii. *Maxime* — *iud.*; sed cf. § 125 de eadem re *tanta significatio*, in Pis. § 97 [ubi ex Erf. legendum est: *ad — iudicia — tanta — accessit sententiae et damnationis tuae: occultus — o: „proprium illud iudicium, quod inest in tua ipsius de de te quasi damnatoria sententia, quam pronunciauisti, cum occulte aduenisti“* cet.], Verr. 1 § 111 *Jam hoc magnum iudicium* [quo loco firmatur Mgii conii. p. Arch. § 5 legentis: *Signum iam hoc non solum*], ad Qu. fr. 1, 1, 31, Verr. 2 § 59, in Pis. § 16; p. Mil. § 22 *documenta maxima*, ubi Vat. mendose *maxime*, p. Deiot. § 40, ubi ego lego *sed maxima*). 59, 124 l. ex Vat. (qui peccat *Menia* p. *Maeniā*), edd. vett., bd sqq. cum Kl. *ad columnam Maeniam* (Or. ex A(B)C, ed. St., 3 Oxx., (c) *a columna Maenia*; sed Sestius, qui in gladiatorium concessum venit, venit non *a c. Maenia*, quae, teste Schol. ad h. l. et ad § 18, Pseudo-Asc. ad Divin. § 50 [ubi ex eo ipso item leg. *ad columnam Maeniam* pro *a c. M.*; neque enim Latinum est *ab aliquo loco reperire* pro *loco* aut *ad locum r.*, et *reos a c. M.* cum absurdum sit, (vid. Gar.), tum non Tullianum, qui ita *de* dicit], Porph. ad Hor. S. 1, 3, 31, ad forum, ubi ludi tum dabantur, spectans ipsa unum ex *nobiliorum* hominum — cf. Liv. 1, 35 — spectaculis erat, sed *ad c. M.*, opinor, ut ex ea ipsa ludos spectaret; quo cum venisset, consecutus est ille nobilium „ex omn. spect. usque a Capitolio [ad c. M.] et [plebis] ex fori cancellis plausus“). 59, 126 l. ex Vat. cum Kl. *latebrosior* (Or. minus amare *latebrosa*). 60, 128 l. cum Mg. ex ABC, ed *vitam cust.* (Or. v. [meam] c.). 63, 131 l. ex ABC o: ex Arch. *dextram* (Or. ex bed, sqq. *dexteram*; sed utrumque Ciceronem dixisse vel Aratea testantur, ubi *dextra* legitur v. 455, 502, 701, 707, 714; cf. Div. 1 § 12, 47, 2 § 82, Ac. 2 § 125, Tim. c. 12 et 13, Tac. H. 2, 8, 1, 54, A 2, 58, 15, 71, cuius quidem edd. semper *dextra*). 64, 134 cum Mg. l. ex ABC, bd, L., Grut. sqq. *emitti*, los fontmen (cf. in Pis. § 95 *emissus* de Clodio iudicium corruptorum *gratia* absoluto; p. Sest. § 85; Or. ex e sola o: Herv. conii. s. errore *eniti*, quod refellere post Mg. non opus est). 55, 137 l. ex ABC o: ex Arch. *civitatis maioribus* o: „deser. civ., quam maiores nostri sibi constituerunt“ (ita enim apud Cic. explicandus mihi esse videtur ille Dativi usus, cuius exemplis ab A. Grot. II., p. II allatis addo Div. 2 § 38 et haec participii *constitutus*: Catil. 1 § 16, Verr. 1 § 42, Att. 7, 7, 4, de l. Agr. I § 25, atque demo Sen. c. 11, ubi *senectuti* iung. cum *obrepat*, et Brut. c. 49, ubi *probari* est *se probare*); Or. ex edd. vett. (quae caedem ante *natura* addunt *a*, ex ABC, ad nunc deletum), bcd sqq. *civ. a m.* (ut de Fin. 4 § 61 necessario in anaphora leg.

